


EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

A 20



A. 20.

Ob. 3547 2

M. CHRISTIANI
BECMANI BOR-
NENSIS,
Manuductio ad
Linguam Lati-
nam.

Edita studio
FRID. TAUBMANI, FR.
Humanitatis Profess.
VVitebergæ.



VVITEBERGÆ.

Typis VVolfgangi Meisneri.

Impensis Pauli Helvvigij.

ANNO 1608.

FRIDERICUS
TAUBMANUS
CHRISTIANO
BECMANO

S. D.



ANU D U C T I O N E M
tuam (quam sic appellas)
Latinae linguae accepi, mi
Becmane: eamq; à recen-
ti manu tabellarij adhuc quasi ca-
lentem avidissime, ut soleo, quae sunt
hujus Muse, pellustravi. Quid di-
cam? quod saepe dixi: quoties te &
tui similes (quanquam paucos) in
juventute Lipsicâ intueor, IOACHI-
MI CAMERARII cineres mihi re-
viviscere videntur. Idq; omnibus
Bonis & Doctis summa voluptati esse,
qui negent, nisi quos stupor aut in-

A 2

vidia

vidua virū illū vero suo pretio aesti-
mare nō finit? quod tamen exteros,
atq; illos etiam transalpinos, facere
non ignoras. Neq; levis adeo glorio-
la *μεγαλιωπος* (fatebor apud te) hunc
animum mihi subit, cū de populari
illo meo Gallo aliquis in bonis litte-
ris princeps: CAMERARIUS non
sua tantū Germaniæ, sed etiam
totius Europæ nostræ decus & or-
namentū. aliquis ab Italiâ trans-
alpinus: (qui tamē in laudibus gen-
ti nostræ dādis ferè Eucliones sunt.)
CAMERARIUS homo eruditis-
simus, & utriusq; linguæ nostræ æ-
tate antistes. Ex hujus ergo Phœ-
nicis cineribus cū te quoq; sub-
nasci ibidem videam, quī te cum
paucis illis non amem? quī vel tuā
causā non carior mihi Lipsia? Jam
ad Manuuctionem hanc tuam
quod attinet, ecce eam (ut volebas)
remit-

remitto: sed novâ & publicâ quasi
veste, typographi comitate, indu-
tam. Scio quid mihi dicturus sis.
Nomen meum me inscio sic traduci
debit? debuit profectò: produci
tamen, non traduci. Tantum inge-
nium in occulto diutius latere, dede-
cus sit nostrum. tollamus aliquan-
do siparium, & hanc Musam in ve-
ro suo vultu toti theatro ostenda-
mus. Si fastidiunt eam Popularia,
at spectabunt Senatus, & quibus
jus est sedere in Quattuordecim.
Erunt fortasse qui per istas etiam
nebulas vitrum & margaritum in-
ternoscent. Quamvis autem in
hoc libello sint (dicam meo more &
liberè) quæ fieri poterant meliora
vel abs tuâ curâ, si remissem: tem-
perare tamen mihi non potui, quin
editionem festinarem: cum præser-
tim typographum, præter opinionem,
A 3 nactus

nactus essem volentem. Quòd si
Genio fame tue prævaricatus hic
videor, habes domi majoris ingenij
& doctrinæ alia, quibus ista sive
parvitas operis sive etiam pravitas
(si qua tamen est) facile corrigetur;
apud eos quidē, quibus melior Phœ-
bus illuxit. Nam istos Capitone
Lentulosve,

Qui nihil hic rectum, nisi quod placuit
sibi, ducunt:

Aut qui turpe putant parere minoribus,
& quæ

Imberbes didicere, senes perdenda fateri,

quid moreris? quibus displicere, est
in bonis litteris valde profecisse. Il-
los autē ORIGINUM libros intel-
ligo, quos apud te videre memini,
cum Lipsiæ ad meliores illas animas
fortè inviserem. ROMANUM ta-
mē, Ictum & priscae illius ac Romanae
Veneris (ita predicari audio) ger-
men germanum, doleo non etiam
vidis-

vidisse. Sed illis Originum libris
utinam typographum cauponemq;
librarium inuenires commodum,
& haud paullo commodiorem, quàm
ego Plauto meo! Nam, queso te,
(dolorem meum hic etiam expro-
mam) quid in eo est quod lectore al-
liciat? typorum aliqua concinnior
venustas? ea verò ejusmodi est,
praesertim Graecorum, sed & in bo-
nâ Operis parte Latinorum, ut ni-
si Sibylla legerit, posse interpretari
alium putes neminem. Charta au-
tem, si cum exoticâ componatur, aut
cum meliore saltem nostratium, ple-
raq; sic est, ut à tractatione istius
puerum pelvim & aquam poscas lo-
tioni manuum. tegetes certe men-
dicorum, qui Lipsiam tuam in nun-
dinis obsidere solent, vidi haud raro
puriores, ut mirer in Gallijs aut in
transalpinis reperiri, qui cum tan-

topretio emere aut tractare susti-
nuerint. Quamquam & meâ aliquâ
culpâ is deterior factus: quid enim
pingam aut velem meas hominis, &
tunc febrientis, hallucinationes?
itaq; editionem jam paro alteram,
quæ multis quidem modis, quod in
me erit, melior futura est. Neq;
adeò molestè fero, si quidâ hanc for-
tè carpant. facio ipse auctor: &
sciunt viri docti non in Germania
solum, sed & extra hanc, quam libe-
rè id apud ipsos à primo statim edi-
tionis die confessus sim; etiam apud
Triumviros illos, quorum Nomina
huic Operi præscripsi. Quorum me-
dius tamen, qui ad majores suos nu-
per abijt, Lipsius, quid de eo senti-
ret, paulo ante suam abitionem, eo
inquam tempore, quo fallere haud
fermè solemus, litteris consigna-
vit, quas Curatores testamenti
Lipsia.

Lipſiani unâcum alijs ejusdem Ope-
ribus, ex destinatione ſcilicet mo-
rientis, tesseram amicitia noſtra, ad
me miſerunt. Videbis, ubi aliquando
ad nos inviſes. An potius particu-
lam ejusdem tibi nunc premittam
in guſtum? fiet. Sic ergo ille: PLAU-
TUM Tuum veteres noſtras deli-
cias accepi, ſed nunc tuum, novâ
& decorâ iſtâ facie à te perpolitû.
O gratum acceptumq; donum!
nô dicam dolo: Certè industria &
elegantia ſimul ingenij tui in con-
cinnando hoc Opere ſic apparent,
ut alij omnes, qui conati, ad tuam
accurationem & lucem luſcitioſi
videantur. Non percutio te pal-
po: ne verere. expers eo more
lum, & apud amicum amicè, id
eſt, verè loquor. *Cætera in tuum
adventum. Quæ tamen ego quidem
ſic dicta accipiam, quaſi quoddam de
itera-*

iteratâ, aut potius iterandâ editio-
ne præjudicium: quæ (ut dixi) exire
jâ gestit, veste profectò magis deco-
râ. modò sarcinatores, hoc est, caupo
librarius & typographus officium
etiam suum meminerint. Ego meum
non deseram, nisi me valetudo & o-
mnes docti. Idem Lipsius mehorta-
batur, ut porrò operam confimi-
lem adderem, & in alio argumen-
to vel scripto juventuti benè con-
sultum irem, optimas artes pro-
ductum atq; illustratum. Hoc et-
iam factū, mi Becmane: atq; in rege
illo & Platone & aquilâ Poetarum
VIRGILIO. Nec operam meam
vendito. hoc tamen dicere apud te
non verebor: me in Opere hoc con-
cinnando sic versatum, ut qui Plau-
tinam operam cum hâc Virgilianâ
contēderit, illam discipuli fuisse Di-
cat, hanc Preceptoris, & vel ipsi
Hein-

Heinsio Budio *ve, probabile. Cer-*
tè omnes omnium etatum, majo-
rum minorumq; gentium Interpre-
tes Criticosq;, quos Sol hic noster
vidit, excussit. Nec collegi, sed è me-
lioribus optima quæq; elegi, & quâ
potuit fieri nervosâ brevitate, quâ
Doctis placere hîc imprimis volui,
proposui pariter & exposui. In illis
præsertim J. Cæs. Scaligeri (quem
virum ego animam Virgilij appel-
lare soleo) Poëtices libris, Opere (ut
rectè Casaubonus cum omni Orbe
meliori censet) admirabili, maxima
minima cum pulvisculo converri:
atq; in proprium quodq; locum cu-
riosissimè digessi. ne perpetuò, in
hâc etiam litterarum luce, audire
cogeremur: MULTI, quid sit Vir-
gilium esse, nesciunt. Atq; utinam
editio in God. Jungermanum inci-
deret! illum, inquam, Camerarij ne-
potem,

potem, & sua Lipsie, nostræq; adeo
Germaniæ, alterum in bonis litteris
(modò vivat) ornamentum futu-
rum. SED enim, quorsum amor,
meine dicam an tui, me abduxit?
Redeo ad Manuductionem tuam,
mi Becmane, & eam publici juris à
me factam ajo: etsi (ut dixi) erant,
de quibus privatim colloqui tecum
etiam Orator noster, SIBERUS, exa-
ctissimi judicij homo, gestiebat. Sed
faciet per epistolam, opinor. Quam
si mihi commiserit, antequam ordi-
nariq; ille Cursor huc redeat, audebo
unâ operâ typographo etiam crede-
re, nostris adjungendam Salutat te
Casp. Barthius, amicus cōmunis, &
quem si magnus Ille BAUDIUS in
Batavis propius novisset, Dan-
Heinsio & Hug. Grotio, incōpara-
bili juvenum pari, hūc tertium, sat
scio, addidisset, Trigæ constituendæ,
pariq;

pari q̄ amore & pretio Triumviris
illis aestimanda. Sed ne hoc etiam ne-
scias. idem Epistolā de linguā Lati-
nā meditari mihi visus. Eam, si typo-
graphus nō gravatur, curabo Ma-
nuductioni tue subjungi. Etsi autē
nondum legi: quin tamen, pro illo
etatis modo, exactissima sit, nullus
dubito, quanquam hoc minimū est
omnium Barthianorū. Novi enim
ingenium Adolescentis; novi etiam
judicium jam non-adolescentis. Hoc
praeterea etiam novi, excellentis do-
ctrinae in Marchiā & fuisse, & esse
multos: sed (vaticinor) omniū famā
hic cōtundet: nī calidū hoc (quod fe-
rē solet) se ipsum exurat. Scis J. Gu-
lielmium, scis Acidaliū, alios; quos in
primo quasi Circo melioris famae
Mors supplantavit. Aliquis S. Ulricus Pi-
storis, qui nunc in istu oris, hic mihi judicet:
& tecum, mi Becmane, iterum iterumq̄, sal-
vet

à TAUBMANO.



ADOLESCENTVLIS

magnæ Indolis, magnæ

Spei:

JOHANNI CHRISTOPHORO
BRUNONI,

DN. D. CHRISTOPHORI,
jam magnif. Rectoris Lipsiæ F.

GULIELMO ULDARICO ET
FRANCISCO ROMANIS FR.

DN. D. FRANCISCI F.

CHRISTIANO TAUBMANO,
FRID. F.

S. D.



Magna sunt, optimi Adole-
scentuli, Parentum vestro-
rum in me merita; majo-
ra, quàm ut verbis declarem; ne-
dum reipsâ. Quantillus ego?
quanti illi? Ausim dicere--*ἡμιθέων*
γένος ἀνδρῶν. Igitur satis mihi sit,
mentem meam aliquà Vobis Fi-
lijs

lijis ostendere. En facio : & hoc
qualecunq; dedico vestro nomini.
Flos ævi vos habet, & in eo amœ-
niora hæc studia & velut florida
tractatis ; graviorum adhuc ex-
pertes. Et spero, hîc aliquid esse,
quod doceat, quod ducat rectâ li-
neâ ad veram & veterem illam
Latinitatem. Accipite ergo; nec
illos audite, qui talia nugas cla-
mant & quisquilias. Vilia sunt,
fateor : sed utilia, nec sine his Sa-
pientia, & quicquid sublime. Ut
ansæ humorem nō continent, va-
si tamen necessariae sunt ad usum :
sic de his literis : Sapientiam non
habent, sed conferunt ad ha-
bendam. Valet, Li-

psia Id. Nov.

1608.

DE

DE LATINA LINGVA.

CAPUT I.

Prefatio.



OT hodie de Latinâ lingua libri & priscorum & recentium curâ editi circumferuntur : ut vix numeres, nedum perlegas, & quæ meliora, in usum tuum colligas. Parùm mentiar, si illud Homeri usurpem : *λίην γὰρ Φύλλοισιν ἐοικῶτες ἢ ψαμάθοισιν.* Vetus est: *Cui non dictus Hyllas?* Novè, sed verè possis : *Cui non dictum aliquid de Latio?* Non tantùm philologi & philosophi hîc sategerunt: sed etiam Icti, & quidem egregiè. Etiam Medici, quod mirum: etiam, quod magis mirum, Theologi. Non opus, ut quemq; nomine vocem : quia in manibus & ore omnium versantur.

B

Hinc

Hinc tam multæ extiterunt Grammaticæ. Veterum plus quàm triginta contulit Elias Putschius, juvenis eximius, qui in flore ætatis suæ abiit hinc in communem locum. At recentium adhuc plures quis enumeret? Quot sunt Nomenclaturæ, Vocabularia, Dictionaria, Lexica, Phrasæ, Synonyma, Compendia, Selecta, Analeceta, Thesauri, Silvæ, Elegantiæ, Admonitiones, Observationes, Isagogæ, Colloquia, Florilegia, Cornu-copiæ, & quid non? Nempe eò omnes aspirant ut humanioribus literis melius esset: ut Latina lingua facilius & purius veluti ex ipsis fontibus combiberetur. Igitur qui tot optimorum & doctissimorum Virorum conatus illos & bene merendi studium insectetur, aut cavilletur; nisi ab omni humanitate aversum puto esse neminem. Nec etiam vitio vertet ullus: si qui hodie post antecessorum suorum operas, si non in meditullio, saltem in margine & finibus Latij pedem ponat, & quædam scitu utilia proponat. Quod majori-

joribus nostris licuit : cur nobis non
 liberum sit ? Multa ab illis omiſſa ſunt :
 multa ab aliquibus non ſatis expoſita :
 multa veteribus inviſa & inaudita, no-
 ſtro ſeculo Viri etiam nunc ſuperſti-
 tes, explicarunt : multa adhuc in tene-
 bris recondita ſequens ætas in lucem
 protrahet. Ludovicum Vivem juvat
 audire lib. 1. de cauſ. cor. art : *Malè de
 natura cenſet, quicumq; uno illam, aut altero
 partu, effectam eſſe arbitratur : cur ſe non
 putent aliquid excuſſuros, ſi annitantur ?
 Cum nulla ſit tam facilis atq; humilis ars, in
 qua non infinita occultantur, qua poſſint mul-
 ta ingenia diutiſſimè exercere. Et recentio-
 res hanc ſane pauca extuderūt, nonnunquam
 acutiùs, ſape etiam veriùs. Quare, pro ſe
 quisq;, juvet rempub: noſtram litera-
 riam : meliores literas ſcrutetur, au-
 geat : ſuos poliat, emendet : ſed ſtudio
 ſemper veritatis & utilitatis. At quid
 tua refert ? dicat aliquis. Cur tu in hac
 ſcena ? Fateor, debebant alij, quibus
 plus & ætatis & judicij. Ego in junio-
 ribus ſum ; & loco poſteriori. Sed ple-
 riq; ſilent, &*

quasi, cum caletur, cochlea in occulto latent.

Multi tamen strenuè suum faciunt officium. Quorum vestigia liceat mihi, quæso, legere & aliquot aristas colligere ex opimâ illâ messe. Liceat mihi, inquam. Quæso enim. Quia vereor, ut temperet sibi à me intemperies quorundam. Voculas jam audio: morfiunculas præsentio. Hic novitatis, iste ostentationis, ille subtilitatis, alter vanitatis, alter me alius nomine traducet. Quid tû? Cùm & veritatis & utilitatis scopo à me scribatur: tale iudicetur Doctis atq; Bonis. Momos, Zoilos & horum semina, morus ego, si morer; qui

*uti muscæq; culicesq; pedesq; pulicesq;
odio & malo & molestia, bono usui sunt
nulli.*

Quia ipsi latent, latrant: quia non capiunt, carpunt: deniq; alieni nominis ruinâ gradum sibi faciunt ad laudem suam, immò ad labem.

CAPUT II.

De usu Latinæ linguæ & appellationibus,

Estné

Estne verò tanti LATINITAS, ut il-
 lius causâ tantum laborem subeamus?
 talem invidiam ? Omnino. Omnia
 metimur usu & commodis nostris. Et-
 iam vulgus, ubi quid agendum, ante o-
 mnia quarit: Cui bono ? Cui usui ? A-
 ger ille optimus, qui plurimos annua-
 tim fructus Cultori refert. Pindaro est
 ὕδαρ ἀγιστον: quia innumeras fundit u-
 tilitates. Quæ causa, quod quidam no-
 men Aquæ, non tam vere, quàm appo-
 site, dictam velint, quasi à qua omnia,
 & sine qua vita nostra non consisteret.
 Quid multa ? Usus commendat rem.
 Si igitur multiplex etiam Latinitatis
 usus apparuerit : certè digna erit,
 quam ferio curemus, cui aliquot ho-
 ras impendamus. Ebræa sancta est &
 prima. Græcâ & ipsa antiqua, & valde
 locuples. Germanica nobis domesti-
 ca, & altioris cujusdam spiritus. Om-
 nes cõducibiles aut necessaria: Hæc
 quidem nobis, ut vel privatim mutuo
 intelligamur : Ista medicis, ut Hippo-
 cratem & Galenum : Philosophis, ut

Platonem & Aristotelem, eorumq; interpretes liquidò ac penitus assequantur. Illa Theologis, ut ex ultimâ radice pandant mysteria. Atqui Latina non uni vel arti, vel genti servit: sed omnibus, quæcunq; sunt, ubicunq; sunt, & artibus & gentib9. Quicquid olim latuit in scrinijs sive Ebraicis, sive Græcis sive alijs, in Latinum idioma cõversum est. Ita quod olim laboriosè ac longo tempore, jam faciliùs percipitur, & paucioribus annis. Quicquid à majoribus nostris scriptum: quicquid hodie ab Eruditis scribitur; id omne beneficio Latinæ linguæ exponitur. Hæc ab ineunte statim ætate pueris discenda datur. Hæc ab adolescentibus, viris, senibus tractatur. Hæc, quodcunq; sit, in scholis & academijs docetur. Hæc, quasi vinculo, tam variæ, tam dissitæ copulantur nationes. In quacunq; oram; ad quæcunq; populũ venies; invenies, qui te Latine loquentem intelligant: secũs loquentem, quod tu intelligis, non tantum non audiant, sed etiam

etiam rideant. Verbo dicam : Ubi homines habitant, ibi unâ habita Latinitas. Et quod Plutarchus olim : ὡς δοκεῖ μοι περὶ ῥωμαίων λέγειν, ὧν μὲν λόγῳ ὦν ὁμᾶ τι πάντες ἄνθρωποι χρῶνται : id veriùs hodie dicemus. At Ebræa tamen sanctior est : Græca antiquior & opulentior. Non nego. Ab utraq; istâ priori, illâ primâ oritur universa Latinitas, ut & omnes aliæ dialecti. Nec quicquam vel Ebrææ vel Græcæ laudibus detractum volo : potiùs adderem, si tantum in me esset. Hoc tantum ajo : USUM Latinæ præ istis hoc nostro tēpore esse lōgè amplissimū : & iccirco eam videri dignissimam, quæ subinde diligentius ac majori fide ex originibus suis & majorum gentium autoribus tractetur. Quòd vera dixerim, res ipsa loquitur : nec ullus, credo, renuit. Nunc à primis ordiar elementis : si priùs aliquid de Nominibus præmiserò : sed breve. Dicitur *Latina*, & *Romana*. *Latina* sive Latialis, à Latio terra, cujus propria fuit & peculiaris. *Latinum* appellarunt : quia ibi Saturnus

delituerit, cum fugeret Jovem. Adde, quod item Saturnus nominetur à latendo; è principijs Ebraicis, à שַׁטְרֵן. De quo alibi. *Romana*, καὶ ἐξ αἰθέρον. Potissimum enim Romæ floruit, quæ ἑξ ἀνόπολις καὶ ἐπίσημή τῆς οἰκισμένης, Athenæo. Universa quidem Italia fuit sedes Latinitatis diffuso ejus usu, & communicato commercio: sed alicubi minus cultæ, politæ, elegantis. Hinc in Livio *Patavinitas* quædã notata est à Polliōne: in aliis alia. Sola præcelluit Roma.

Natura hic posuit, quicquid in orbe fuit.

Etiã florem & munditiem linguæ singularem. Ita hodie in Thuscis Florentiæ aut Senis major puritas viget Sermōnis Italici, quàm alibi. Ita, ne longiùs abeam, universa Misnia & Ostia æquè utitur Germanicâ: sed Lipsiæ præ alijs, etiã vicinis, dominatur elegantia et nitor. Quod Julius Scaliger laudat:

*Cum gemmâ bibitur: vincuntur nectare
gemme:*

*Sed lingua varius vincit utrumq; nitor.
Deniq; Pœtis dicitur etiã Ausonia:
itidem*

9.
itidem à regione. Ea proprie Aurun-
corum est terra inter Campanos &
Volscos, juxta mare : ut in Lycophro-
nē notat Isacius, & Johannes Tzetzes.

CAPUT III.

De Elementis.

Altiùs ordiamur. Simplicissima
linguarum omnium principia, Aristoteli
σοιχεῖα ἀδαιεῖα, sunt LITERÆ. Eæ
nunc pronunciantur, ut aures; nunc
scribuntur, ut oculos afficiant : utraq;
ut penitent intellectum. Illæ *τα ἐν φωνῇ*
Græcis dicuntur : hæ *τα γράμματα*.
Illæ primo mortalium unâ inditæ, in
universam posteritatem cum semine
quasi fluxerunt. Apud omnes populos
eædem sunt. Dico, quoad essentiam :
licet quibusdam accidentibus alicubi
dissent. Eruditi enim & opidani re-
ctiùs enunciant; inertes, ac ruricolæ,
confusiùs, & crassiùs : ubiq; tamen nu-
mero conveniunt. Nec impedit, alibi
plures, alibi pauciores numerari pas-
sim. Ebræis, si unâ vocales, vulgo pun-

sta, accenseas, omnium plurimæ vi-
 dentur. At totidem futuræ, quot vel
 Græcis, vel Latinis, vel Germanis, vel
 cæteris: si simplices, id est, veræ literæ,
 quæ singulæ unam sibi formam ven-
 dicant, hoc est, potestatem, discernan-
 tur à compositis, ubi gemina potestas
 & sonus. Ergo Ebræum \aleph , quia è \aleph & η :
 Græcum ψ , quia è π & σ : Latinum X è CS. conflata sunt, rectè à
 simplicibus segreges. Quod si facias,
 tot Latinis, quot Ebræis, quot Græcis,
 quot alijs elementa simplicia depre-
 hendes. At quot? inquis. Cedò nume-
 rum certum? Non ausim ego. Nimis
 invidiosum foret. Jam tum enim mihi
 tinnunt aures. Scio, dicturi sunt: ab-
 surdum esse: adversum esse doctrinæ
 Aristotelis, si literæ ferantur ubiq;
 eadem. Sed neutrum accidit. Non est
 absurdum, quod ratio certa & ipse sen-
 sus communis comprobat. Nec repu-
 gnat ullibi Aristoteles. Verba, quæ è
 cap. i. $\omega\pi\epsilon\iota\ \epsilon\gamma\mu$. citant, attinent literas,
 ut scribuntur. $\epsilon\delta\epsilon\ \gamma\epsilon\acute{\alpha}\mu\alpha\tau\alpha\ \pi\acute{\alpha}\sigma\iota\ \lambda\acute{\alpha}\nu\sigma\iota\alpha$,
 inquit. Hoc est figuræ. Has &
 ipse

ipse agnosco multum dissimiles, & miror. Omnes ex eodem puncto ac linea figurantur: omnium gentium eadem ratio, à qua: eadem manus, per quam formantur omnes: idem usus, ubiq; ut junctæ significant ea, quæ in animo. Et tamen conspiciuntur tam variæ, tam dispares, tam mirificæ etiam quædam & nonnulli ridiculæ, ut cum Plauto mustitet:

An obsecro hercle, habent quog, gallina manus?

Nam has quidem gallina scripsit.

Alij characteres sunt Ebræorum: alij Arabum: alij Græcorum. Alij fuerunt olim, qui nunc mutati. Apud Ægyptios quondam effigies animalium loco literarum erant. Literæ Ebraicæ, quibus jam utimur, novæ sunt, si Hieronymo fides, & ab Esdra Legis perito inventæ. Græcorum veteres fuerunt eadem pænè, quæ nunc Latinorum. Quod indicat Delphica tabula ex ære, quæ Romæ palatio Minervæ dicata in bibliotheca conspiciebatur, Plinij, ut ipse testatur, temporibus. Inde colligere

gere promptum : quod sicuti voces ;
 ita literæ Latinorum , puta caracte-
 res, à Græcis trahant originem. Nec
 hodiernæ utrorumq; multum discre-
 pant. Et quomodo Latinæ à Græcis
 ortæ, suo more, id est, eruditè differit
 J. C. Scaliger de causis Latinæ lin-
 guæ. Ita sine mutatione A a ex $A \alpha$.
 B b ex $B \beta$. C ex dimidio Græca est.
 Subtractâ namq; columnâ ipsius κ ,
 cuspis nuda remansit. D rotundius
 fecerunt, demto angulo Δ . Id enim
 facilius. Et minuscula, d δ , adhuc
 viciniora. E e ex $E \epsilon$. F ex E, amo-
 tâ inferiori lineâ. Potestate verò
 eadem est ferè cum Φ . Etiam ex Æo-
 lico digamma sive potestatem, sive fi-
 guram spectes, non ineptè facias.
 Id enim nil aliud, quàm Gamma su-
 per Gamma positum. G, cujus Car-
 bilius Grammaticus autor, dimidio
 circuli assumpto, vice anguli, ex
 Γ , aut ex C. Ii ex $I \iota$. L à Δ
 differt positu. M m : N n : O o
 rectâ ex $M \mu$: $N \nu$: $O o$. Ex π
 quod

quod abscidissent de π finxerunt ipsum P. Circuli enim, quàm anguli ductus facilior propterea, quod unica litera unico absolvitur motu: At angulus duabus lineis; ergo duobus motibus. Igitur quiete interpositâ. Postea cum Latinum hoc P concurreret cum illorum literâ, quam *caninam* vocat Persius; quam Appius Claudius ICTus primùm Romanis dedit: Ut ab illâ distaret, caudam addidit, R. È Σ creavere S, subductâ basi & angulo hebetato: ut non ampliùs Scythicum arcum imitaretur: id quod notabat Athenæus ex priscis fabulis. Minuscula vero, σς, propriis Latinum accedit. T t ex T τ simpliciter. U u ex T υ. Sed unde Q & H emerfit? Q è G vel C & V compositum est. Unde pro Q usurpant C; ut *quotidie*, *cotidie*. *Cancam* alicubi, pro *quanquam*. Ejus igitur figuram placuit comminisci è principio, nempe C, cum productiori caudâ.

Inte-

Integro postea circulo clauserūt Q. H
 verò, quoad figuram, respondet Græ-
 co H. quoad potestatem, spiritui aspe-
 ro c. Quod occasionem dedit erro-
 ri, ut H è censu literarum aliqui exe-
 merint: Sed imprudenter & perpe-
 ram. Cur enim locum dant inter lite-
 ras, si litera non est, aut pars dictionis
 indivisibilis? Cur Ebræa, linguarum
 antiquissima, habet η , quod certè nil
 aliud, quam H: quod etiam Latini fi-
 guram, lineâ superiori ad medium re-
 ductâ, creat. Nec Græci prorsus carent.
 Quippe latet in ϕ & χ . At quid de for-
 mâ respondebunt? Ea certa illi est pe-
 culiaris, à cæteris distincta: scilicet
 potestas. Inde dictiones non unas con-
 stituit: ab alijs separat: *ara, bara: abeo,*
habeo: amo, hamo. Deniq;, quod inter
 alia urgent; sæpe etiam efficit Positio-
 nem, ut vocant. Virg: *Ille latus niveum*
mollis fultus hyacintho. Concilia Elysijsq;
colo. huc casta Sibylla, Lucinam, justosq;
patri hymeneos. Nec deest simile exem-
 plum. Ita S nunc ubiq; facit positio-
 nem, ubi ab aliâ consonâ excipitur.
 Olim

Olim etiam correptè ponebant, aut abijciebant. Ennius : *Egregiè cordatus homo, catus Aelius Sextus*. Lucil : *Penula si quaris, Canterius, Servus, Segestre Utilior mihi quàm Sapiens* ---. Sed quorsum extra oleas ? Redeo ad Characteres nostros: quos è Græcis maximam partem liquet oriri. At potuissent etiam aliter fieri: quidam fortè meliùs. Nempe si unicè habita fuisset ratio pronunciationis & soni. Quomodo O ab oris rotunditate quasi picta & expressa ; I unâ lineâ perpendiculari facta est, ob exilitatem soni. Cæterarum potestates ad hanc faciem, ut linguâ, dentibus, labijs formantur ; ita lineolis velut adumbrare longe difficillimū est. Igitur Latini supersederunt eo labore, & Græcos imitari satius esse duxerunt: Græci Ebræos. Quanquam hinc paulò obscurior imitatio. J. C. Scaliger de caus. L. L. : c. 40. *Alpha* à Syris fieri putat. Sed hodiernum si videas, non parùm dissimile est. Tres tamen lineæ: & inde Græcū A, si superior in latere, transversim locetur, ut triangulus

gulus appareat. \beth si invertatur & superioris ac inferioris lineæ apices introrsum reflectantur instar hami, facit β . \beth facilius $\tau\omicron$ γ . γ verò creat Δ , lineâ adjectâ, ut sit triangulus. *Scheva* dedit principia \aleph ϵ . Fit enim è tractu punctorum. Unde ubiq; breve est, non secus ac Ebraicum. ζ fit è ψ , levi factâ trajectiunculâ : ut nomen $\xi\eta\alpha$ à *Zade* sicut & $\theta\eta\alpha$, *Theta* à *Teth*. Figura autem υ si integrè in circumculum ducatur, à θ non multùm abhorret. *Jota*, ι , liquidò respondet \aleph *iod*, \beth . Velut etiam λ \aleph η : μ \aleph ψ . κ si columellam seponas & rotundiùs pingas, sicut Latinum C; emergit à ι . Adhuc clariùs θ facit σ : ut & nomen. *Samech*, *sigma* : *Sin*, Doricum $\sigma\alpha\nu$. Ratio deductionis obscurior est in cæteris, fateor : Sed ita tamen, ut ex eo etiam perspicias; Græcos debere sua elementa Ebræis : ut Latini sua Græcis. Quis verò autor illius translationis? Aut quis primò è Græcis Latina; utraque ex Ebræis formavit? Id si me inquirere jubeas, aut alium :

lubeas

lubeas unâ operâ me piscari in æere;

Venari autem rete jaculo in medio mari.

Latet enim, & ita latet, ut nunquam ab ullo eruendum. De Ebræis ausim affirmare, quòd Figuras illas (intelligo primas & antiquissimas) Adamus *πρωτόπλαστος* tradiderit suis. Nam quis dubitet? Fuit sapientissimus, & cum philosopho loquor, *ἐν ἀσκήσει χρόνω*, rerum omnium affectus & naturas pervidit. Fuit primus *ὀνομασθεύτης*. Quidnî etiam *πρωτογενέτης*? Ab hoc avo suo didicerunt Filij Sethi, qui Josepho & Eusebio statuuntur inventores literarum. Alijs Cham. Quid si hic Ethnicorum Cadmus? Alijs Abraham? Alijs Moses. Alijs Phœnices. Alijs Theuth, dæmō Ægyptius. Alijs Menon Rex in Ægypto. Alijs Callistratus apud Samios. Alijs alij. Et verò, si diligentius seriem inspicias, non loquuntur illi de prima literarum inventione: sed vel de restitutione, vel interpolatione, vel translatione: omniumq; sententiæ, nisi fallor, eò redeunt, ut Ebræi videantur autores & sapientiæ omnis & notularum,

rum, quibus ea discitur, hoc est di-
ctionum ac literarum.

CAPUT IV.

De origine Latinæ
linguæ.

Multa ingeniorum portenta sunt:
multa opinionum prodigia. Quæ inter
non minimum illud *Goropy Becani*, de
πρᾶξις linguarum. *Monstrum horrendum,*
informe, ingens — Ecce enim Germa-
nicam nostram, sive Cimbricam nu-
gatur esse reliquarum primam & ve-
tustissimam. Nugatur, inquam. Ita e-
nim Docti judicant, quorum aliquibus
risum, aliquibus bilem movit. Refuta-
rem hîc, nî jam antè factum: nî planè
ineptum sit, cui nemo assentitur, nisi
qui omnia in dubium vocat, etiam
candorem nivis cum Anaxagora. Agè
tamen: si Cimbrica prima sit, cur Pri-
mus Homo, & ab hoc cæteri in floridâ
illâ ætate nomina non Cimbrica, sed
Ebræa gessere? Ut respondeas aliquid
πρὸς ἑπὸς: opus sanè doctis dolis. Adde
& hoc

& hoc : Mirum profectò, si Cimbri res
 sibi & terræ suæ omninò incognitas,
 nomine tamen donarint. *Qualia balsa-*
mū, manna, oleum, vinum, ficus, cedrus, byssus,
purpura. Ista non apud Cimbroſ & Ger-
 manos, sed in ditib9 illis & beatis oris
 primū nata & aliò importata sunt.
 Et tamen, si Becanum audis, sunt ea
 nomina Cimbrica. At mitto ineptiā.
 Quā aliter appellem, aut quid in hanc
 acrius inquiram?

Verum amo, verum volo mihi dici, men-
datem odi.

Ebræa verè prima est, etiam Spiritus
 sancti testimonio. *Quòd si Deo non*
credimus, cui credemus? ait Ambrosius.
 Hæc lingua ad grandem illam turris
 Babilonicæ ædificatiōē confusa est.
 Hoc est, quarundam vocum significa-
 tio mutata, quarundam abolita est,
 quarundam pristina mansit: quarun-
 dam literæ abjectæ, quarundam adje-
 ctæ, quarundam trajectæ, quarundam
 ferè ablatae sunt omnes, quarundam
 etiam cunctæ manserunt. Atq; inde
 ita extiterunt aliæ dialecti. Quot, qua-
 les

les fuerint, an adhuc sint, ego nescio, & mecum alij, fortè omnes. Haut dubiè inter illas Græca quoq; unà emerfit. Diu enim est, cum floruit, & in ea adhuc satis lucida Ebraici sermonis indicia. Clemens & Eusebius ostendunt, Græcos sapientiæ suæ faculam accendisse ab orientali illo sole. Et Plato, Pythagoras, Democritus, alij Ægyptum lustrarunt, nō nisi meliorum artium causâ, quas ibi acceperunt, & simul etiam dictiones. Igitur origo Latinitatis est & Ebræa & Græca. Illa prima: hæc propior & longè manifestior. Iudicio sit paritas literarum, quam antè notavimus. Argumento sit cognatio declinationis, conjugationis, cōstructionis, phraseon, & aliorum. Nimis longum foret afferre exempla, quæ præ manu sunt, innumera, ut probem *ἰστανισμός*. Præsens in tempus omittam, & testimonia Autorum aliquot in rem obvia proferam. Sex. Pompeius Festus, & ad illum Josephus Justus Scaliger: *Verum est quod ait in fine, eandem panè cum veteri Græcâ veterem*

rem Latinam linguam fuisse. Nam & eadem
 panē veterum Latinorum cum Jōnum literis
 fuisse testatur Plinius l. 7. Quin & Linguam
 Romanam Gracā fuisse, autor Varro & Dio-
 nysius extremo l. 1. Ovidius 4. Fastor:

Nec tibi sit mirum, Græco rem nomine
 dici;

Itala nam tellus Græcia major erat.

Quinctil: l. 1. inst. c. 9: Continet in
 se multam eruditionem, siue illa ex Græcis
 orta trademus, quæ sunt plurima, præcipuè
 Acolicâ ratione, cui est Sermo noster simili-
 mus, declinata, siue ex historiarum veterum
 notitia. I. C. Scaliger: Græcis ipsis origi-
 nem debemus, sicuti panē uniuersæ linguæ
 nostræ. Ex his colligimus: Latina ferè
 omnia rectâ derivari à Græcis: nec il-
 la perfectè disci posse, nisi addiscantur
 etiam ista. Scio, quid Accursius con-
 trà: Græcum est, ergo legi non potest. Culpâ
 fortasse non tam suâ, quàm seculi. Ego
 aliter existimo. Quid ego? VIRI DO-
 CTISSIMI; qui subinde acclamant.—

Vos exemplaria Græca

Nocturnâ versate manu, versate di-
 urnâ.

Immò etiam Ebrææ. Illa quippe exactissima demum cognitio, quæ non in propinquis, sed ultimis principijs, quâ datur, subsistit.

CAPUT V.

De Autoribus.

Qui primum Latinitatis autorem curiosius quærit, nã acum in acere, & ut ille ait; *Quærit quod nusquam est gentium, nec librorum.* Etiam ille ipse, qui in antiquissimis aliquid capere se putat & sapere, hîc deficit, aut non sufficit. *Omnium rerum principia parva sunt,* inquit Cicero. Ita linguarum, ita Latinitatis. Exiguus ab initio finibus, ut ipsa gens, contenta, circa Romam ferè & finitima infero Tyberi hæsit. Postmodum suis usa progressionibꝯ in tantum succrevit, ut omne latus mundi compleverit. Ab Historicis, nisi fallor, in classe vetustissimorum, quæ nobis nota, ponuntur Carmentæ, vatis Martij, & *Saliorum carmina, Livius Andronicus, Cæcilius, Varro Attacinus, Ennius, Accius,*
Pac-

Paevius: quorum dictio horrida, rudis
 apparet, totaq; ferè compositio insua-
 vis. Inde operà *Catonis Censorij*, *Lucilij*,
Accij, & inprimis *Plauti* multo venu-
 stiozem, quàm antè, speciem nacta est
 Latinitas. Omnium verò venustissi-
 mam: ubi os suum extulit *Terentius*,
Cicero, *Cesar*, *Salustius*, *Livius*: *Virgi-
 lius*, *Lucretius*, *Ovidius*, *Tibullus*, *Propertius*,
Catullus, *Manilius*, *Floratius*. Hos secuti
 istis iterum inferiores, ut censent: *Se-
 neca*, *Quintilianus*, *Quintus Asconius Pa-
 dianus*, *Val. Maximus*, *Plinius Secundus*,
Suetonius, *Tacitus*, *Florus*, *Iustinus*, *Agelli-
 us*, *Curtius*, *Columella*, reliqui. Et inter
 poëtas: *Martialis*, *Stattius*, *Juvenalis*, *Per-
 sius*, *Silius*, *Lucanus*, *Boëthius*, *Claudianus*.
 Cæteros utriusq; generis, quorum co-
 pia multò maxima;

ὡς τ' ὀφείδων πρῆσσηνῶν εἶνεκα ποιεῖν,
 præsertim recentium, omitto sciens,
 & committo alijs vel recensendos, vel
 secundum ætatem & eruditionem ju-
 stâ serie disponendos. Alijs dico, qui

Cano capite atq; albâ barbâ —
 diu in autoribus majorum gentium

singulari cum fide & industriâ hæserunt. Quî enim juvenis talia præstet? Nunc ad alia transeo, quæ è re sunt & in rem meam. Priùs tamen iudicium J. C. Scaligeri de ætatibus pœseos Latinæ, ut quæ dixi, aliquâ firmentur, quæ non dixi, inde hauriantur, appono, è Cap. i. Hypercritici: *Rudimenta quædam (inquit) primi illius exortus agnosceimus: flexumq; ætatis tanquam per adolescentiam, à Livio atq; Ennio, per Accium, Nævium, Plautum, ad consummatum florensissimum transmissum robur: quod in Terentio, Catullo, Tibullo, Horatio viget, in Virgilio etiam luculenter splendet. à quo ad Martialem, Lucanum, Statium, Silium de vergens, paulatim efflorescit. Tum autem quarto, veluti decurso spatio, hæsit in senij vestigijs cum Sereno, Sidonio, Severino, Ausonio. Et post: Si unum Virgilium excipias (is enim non solum humana superavit ingenia, verum etiam sese quasi parem extulit natura) Palinigenium, Aonium, Politianum, Cerratium, Vidam, Pontanum, Sanazarum, Fracastorium habes, quos cum cuiusvis veterum compares multis, sed non ignobilibus anteponas.*

CAPUT VI.

De autoribus qui
maximè le-
gendi.

Argus olim, qui totus fuit oculus, vix omnium Latinorum scripta, quae publicè extant, vel obiter pellustrare possit. Et qui id tentare velit, nî sit felicioris ingenij: næ faciat cum reliquarum linguarum jacturâ; cum pulcherrimarum & utilissimarum rerum, quibus nati, quibus facti, dispendio. Seligamus igitur è tanto numero, quos legamus, quos imitemur; id est, verè eximios, verè egregios. Bene Quintilianus: *Diu non nisi optimus quisq;, & qui credentem sibi minimè fallat, legendus est; sed diligenter & panè ad scribendi sollicitudinem: nec per partes modò scrutanda omnia, sed perlectus liber uique ex integro resumendus.* At quanam optimi? Illo aureo fuerunt

Seculo, quo Roma sub aliquot Augu-
 stis & linguâ & potentiâ & opibus ma-
 ximè valuit. Nempè *Cicero & Virgilius*
 sunt primi. Ille profæ, iste metricæ
 orationis, sine dubio, princeps. Ille
 (*usurpamus verba Quintiliani*) dono
 quodam providentiæ genius, in quo totas vi-
 res suas eloquentia experiretur. Non immer-
 ritò ab hominibus suæ ætatis regnare in judi-
 cijs dictus est, apud posteros verò id consecu-
 tus, ut Cicero jam non hominis, sed eloquentiæ
 nomen habeatur. Hunc igitur spectemus. Hoc
 propositum sit exemplum. Ille se profecisse
 sciat, cui Cicero valdè placebit. Multa in
Asinio Pollione inventio, summa diligentia,
adeò ut quibusdam etiam nimia videatur &
consilij & animi satis: à nitore & jucundita-
te Ciceronis ita longè abest, ut videri possit
seculo prior. De Virgilio. Hic solus (ut
 verbis dicā Scaligeri) poëtæ nomine
 dignus est: poëtarum rex est: poëta-
 rum summus est. Hic selegit ex horri-
 dâ vetustate tanquam auri nitelas ex
 arena. Quas ita composuit, ut si quid
 addas, aut mutes, id sanè arena sit: si
 demas, destruas. Hic imitationis poë-
 ticæ

ticæ exemplum, regula, principium,
 finis esse debet. Hujus flosculi deliban-
 di nobis sunt, si cœlestia mella facere
 volemus. Uterq; igitur pro Latinita-
 tis elegantia contra barbariem obti-
 nenda signifer esto: & *Cicero & Virgi-
 lius*. Commilitent tamen alij: & in u-
 na legione non unus saltem centurio
 aut tribunus. Dicam planius: Uterq;
 & ORATOR & POETA, quantum potest,
 studiosissime legatur atq; relegatur:
 sed non solum. *Ut non omnis fert omnia tello:*
 Ita isti ambo non omnes res complexi
 sunt, nec potuere etiam: & sic non
 (quanquam etiam hunc, sed & in pau-
 cis locis, nec ab omnibus facile ani-
 madvertendam) omnes voces, quæ o-
 pus aut necesse. Nec etiam ambo uni-
 versam orationis formam ac modum
 repræsentarunt: qui ut multiplex, ita
 non nisi à multis & ad multos.
 Aliter scribit Philosophus: aliter Phi-
 lologus: aliter historicus: aliter Poëta:
 aliter orator. Hunc sublimia, istum
 humilia, illū media delectant. Est, qui
 pressè loqui mavult: est, qui se diffun-
 dit.

dit. Et qui singuli, ut nunc sunt homines, maiestatem Tullianam & Maronianam capiant, licet cupiant? *Omnia mutantur: omnia in peius ruunt: etiam ante mille jam annos, & quod excurrit. Qualia putes hac senectâ mundi ætate? Non perinde etiam ingeniorum vires tabeant, quasiq; consenscant? Pœtæ quidam è Germaniâ, aliquot è priscis & æquarunt & vicerunt nostrâ ac patrû memoriâ. Inter quos Paulus Melissus Schedius, Francus. Et eulogium de J. C. Scaligero notum est: Si is felix illud ingenium & inventionum invidendum acumen curâ temperasset & limitâ, coronari contra omnes pœtas potuisset ab illo ipso ævo prisco. At nemo unquam similis Maroni auditus est, nedum par, nedum superior. Ipse Scaliger, de divinitate Virgilianâ ita iudicat, ut illam perinde atq; fastigium quovis humano ingenio altius admiretur, eiq; aras statuat, in fine Hypercritici. Martialis igitur quantillum fidei!*

Sint

*Sint Mecanates : non dēerunt, Flacce,
Marones.*

*Virgiliūque tibi vel tua rara da-
bunt.*

Sint Mecœnates, quicumque sunt
— *Solis ab ortu Solis ad occasum* --- edu-
cent, edoceant suos, exteros, quan-
tum potest : alter tamen Virgilius
nunquam procreabitur. Nasci fortè
possit, benigniore fato: fieri non pot-
est. Sed quorsum in laudes poetæ?
Redeo ad illos, qui & Ciceroni & Vir-
gilio, tanquam ducibus, à latere, certo
consilio adjungantur. Scilicet sunt
*Plautus, Terentius, Varro, Casar, Sa-
lustius, Livius, Ovidius, Tibullus, Pro-
pertius, Catullus, Horatius, Persius, Se-
neca, Martialis, Statius, Iuvenalis, Lucanus*
& cæteri. Hi enim, iudicio orbis eru-
diti, omnes probi, elegantes, terfi-
limati : omnes ad mundam Lati-
ni sermonis supellectilem parandam
unicè, pro se quisq;, faciunt, & satis
esse possunt nobis : aut fortassè il-
lorum unus atque alter. Sed nobis,
qui

viles

— *viles pulli, nati infelicibus ovis.*

Hoc est, qui & ingenio & libris & sumtibus & bonis interdum præceptoribus deficiunt: invitique sæpe, tantum ut famem solemur nostram, sedemus, ac nescio quid, certè non semel fordidum & servile in caveis agimus; aut si non agimus, mente meditatur. Illis verò, quibus adest, immò superest, quò deest nobis, qui tendunt ad summam Latinitatis perfectionem, quà humanitus licet, non sufficiunt autores jam nominati. Immò nec sufficiunt, qui habentur, universi Latij omnes, sive antiqui sive recentiores. Quò fit, ut plures sibi exoptent, ut de incuriâ hominum, de injuriâ temporum, quâ nõ pauci perierunt, conquerantur. Illis igitur, inquam, quicquid Latij, sed veri & genuini, etiam è rudissima ætate, cognoscendum. Ita enim veterum ritus, mores, historiarum, uno verbo, multa patefiunt. Ita autores, qui in omnium manibus sunt, rectè intelliguntur: quicquid in illis adhuc obscurum, mutilum, luxatum, tollitur.

litur. Ita dictionum, phraseon, quæ ex-
tant, ortus, ratio eruitur. Ita ut quæli-
bet res suo nomine vocanda sit, non
alieno: ut in tantâ rerum copiâ Latini-
tas locupletanda sit: deniq; ut Latini-
tatis perfectio habenda sit, traditur.

CAPUT VII.

De PLAUTO Comico.

Pro dignitate Plauti & bonarû litera-
rum jam satis multa eruditè & fecili-
ter dicta sunt à *Frid. Taubmano*, singula-
ri patriæ & Academię suę ornamento.
Et quid lucis à me umbrâ accedat illi
Umbro? Parùm fortassè. Non possum
tamen mihi temperare, quin obiter
aliquid adjiciam, *de Proprietate Sermonis*;
quam ille, præter selecta verba, figu-
ras, phrasas, sententias frequentissimè
observavit, si qui alij. Quod Joach. Ca-
merarius ait: *Manifestò in scriptis Plau-
tini proprietates & natura lingua Latina con-
spicitur*: ecce tibi per exempla. In
Amph: *Lassus sum hercle è navi ut veetus
huc sum, etiam nunc nausco*. Nausea enim

ναυσία

*vavota à vaüs. Aduenisse familiares dicto: quia à familia. Questio inquisita: ut in hic neget aut minuat. In Aulul: Adeunt, consistunt. id est, Simul. Cum est notula conjunctionis, συναγωγῆς. Ut in Curc. Constant, conferunt sermones, Et in Amph: Ita statim stant signa. Est enim à statum. In Capt: Et te & hunc amittam hinc. Et paulò post: Ego me amitti non postulo. Est amitto idem, quod ἀποπέμπω propriè: vulgo perdo. Ita Cæsar i. de Bel: Gal: Nocte intermissa. Ubi Hotomanus; mirè dictum, pro noctis interventu. In Cas: bene rem gerite & vincite virtute verâ. Virtus, olim Latinis fortitudo. Scilicet à viro: ut Græcis ἀνδρεία ab ἀνὴρ. In Epid: Expeditum ex impedito faciam. A pedibus. Ego istuc faciam sedulò. Ego dico sedulò. Id est, sine dolo. In Bacch: Non ego istuc facinus mihi, mulier, cōducibile esse arbitror. Est enim γενναῖος: à facio. Navem extemplo statuimus: videlicet à statum. Vulgò statuo est existimo, non propriè. Quin sciat: Quin, id est qui ne aut non sciat. Maculo ego illum infortunio. Est quippe magis aucto.
 Desine.*

Desinebat esse dicto obediens. Ab audio. Et
 dicta seu voces propriè audimus. Idq;
 ob sonum : de quo Physici. *Affais est*,
 inquit Philoxenus : ubi jam fatis ver-
 borum factum erat. A *fatum*, fari. *Quod*
in se fuit accuratum habuit. Ab *Ad & curo*.
 Hoc est, probè curatum. *Quid illum*
morte territas? Terror est metus concu-
 tiens ac validus:& quidem ex origine
 Græca & Ebr. Bene ergo ad mortem;
 quæ maximè formidabilis. *Hodie exi-*
gam aurum hoc. Exigo, ἐξάγω : ab ago.
 Ex innuit motum de loco. In Mostel :
Nequior jam factus est usus adium. Nempe
 à Ne & equum. *Vnà operà ebur atramento*
candefacere postules. Atramentum ab a-
 tro, & sic bene opponitur ebori. Nus-
 quam stabulum est confidentie. Id est ubi
 consistat : à stando : sicut latibulum à
 latendo. *Scies imposuisse in undam*. Popu-
 lariter imponere est decipere. Ibi
 idios. *Scelus factum est jam diu antiquum*
 & vetus. *Vetus* siquidem majus sive ef-
 ficacius, à βεβητός : quasi multorum an-
 norum. *Nihil ego formido, pax mihi est*
cum mortuis. *Formido* à formis, de quibus
 D inibi

inibi sermocinantur. J. C. Scal. Ex. 312:
 à formis id est spectrjs. *Mane castigabit*
eos bubulis exuvijs. Ab exuendo: com-
 munitè exuviæ sunt vestes, aut spolia.
Mane atq; assiste illico. Et. *Illico inira limen*
astate. Illico id est in loco. Ideo rectè
 L geminatur. *Maximam qui his injuriam*
foribus defendat. Defendo est arceo, a-
 verto. Cic: *defendere pericula civium.*
 Idem: *defendit solis ardores.* In Menæch.
Vivo me malo malè nuptiam. Fœminatum
 est nubere. Olim enim facies sponsæ
 velabatur. Nubo proprie est operio,
 velo. *Quid ille abs te iratus destitit: à præp.*
De, qua notat separationem. Sicut & in de-
 stituo. *Quòd post: quid illam iratam abs te*
destituit? Vt pandiculans oscitatur. Oscitatio
 est oris citatio seu diductio: post qua
 indicium ignaviæ & pigritiæ, pro ea-
 dè quoq; usurpatur. *Præusquam percipit*
insania, id est penitè capit. Per est a dōgen-
 tixōv: ut in pertento, perficio. persono J. C.
 Scaliger cap. 110. de ca. L. L. Verbi vo-
 cabulum ab ipsa aeris materia, qua verbera-
 retur, propterea quod vox esset aeris impulsio-
 nis. Sic Plautus in Amphit: voce facit
 verbe-

verberari aures Mercurij. Sed quò labor?
 qui finis, si omnia loca, ubi propriè lo-
 quitur, huc conscribam? Sunt enim in-
 numera. & vel istius nomine majoris
 fieri debebat. At, inquiunt, stilus Plau-
 ti, ut proprius sit, elegans non est, nec
 satis idoneus. Quì hoc sciunt? Latinus
 de linguâ sua; Protogenes aliquis ju-
 dicet de Apellæis lincis. Verè J.C. Sca-
 liger in Hyper: *Plautina dictionis genus*
non est nostrum emendare, qui illi sanè bar-
bari sumus: aut si Latini, Latini profectò il-
lius beneficio. Et in Teret: --- *tibi nomina*
Plautus Det, det verba. habeas, coluit qua
sancta vetustas. Agellius l. 7. c. 17: *Plau-*
tus homo linguae atq; elegantiae in verbis La-
tinae princeps. Varro Parmen. apud Non:
in argumentis Caelius poscit palmam: in
Echeli Terentius: in sermonibus Plautus.
 His & multis alijs credâ potius, an a-
 lijs, qui non Latini? Aiunt: E' priscis ta-
 men uni atq; alteri displicuit Plautus!
 Quid tum autem? ——— *ἔδὲ γὰρ*
ὁ θεός

ἔθ. ὅταν πάλιν ἀνδάνει ἔρ ἀπέ-
θων.

Et quis, vel olim vel hodieq;, etiam optimus & doctissimus *omne tulit punctum?* Quem non carpsit aliquis. Zoilus? Ipsum Ciceronem & suorum homines temporum incessere audebant, ut tumidiorem, & Asianum & redundantem & in repetitionibus nimium, & in salibus aliquando frigidum & compositione fractum, exultantem, ac pænè, quod procul absit, viro molliorem: teste Quintiliano l. 12. c. 10. Sed & obscœniora verba exprobrant comico, proptereaq; è repub. literariâ exulare jubent. Si ita: unâ & Terentius & Ovidius & Horatius & alij, immò ipsæ etiam sacrae literæ exeant necesse est. Verùm

Utinam ne in nemore Edeno, obscœnitatibus

infectum ab imo, humanum cecidisset genus!

Utinam ne animus noster à natura tam proclivis ad mala, quàm imber quando pluit! Utinam vita hominum peregrè ac domi non plena sit omni obscœnitarum colluvie! Nam libri illi quid

quid aliud, quàm speculum animi & vitæ nostræ? Mala atq; turpia memorant, ut fugias, non ut imiteris. In hanc mentem plurima à J. C. Scaligero, Joach. Camerario, Frid. Taubmano, Martino Haineccio & ab alijs eleganter & graviter disputata sunt. Quæ si adducerem, non actum agerem? Legat, qui volet. Satis mihi sit, digitum ad fontem intendisse.

CAPUT VIII.

De antiquis vocibus.

Illud pænè omissum: etiam antiquitatem immane quantum obijciunt Plauto, putantq; juniores maculari, si adeant theatrum, ubi tot exoleta, prisca, vix Oedipo intelligēda. Simile est, quod toties Aristoteli occinunt: Uti eum Stilo nimium brevi, perplexo, ad hæc nostra secula minus accommodato. At quæ culpa inde vel Comico, vel Philosopho? Hic Græcè: ille Latine: Uterq; optimè: Uterq; suo

seculo scripsit, & à suis intellectus est. Jam quid illi possunt, si Nobis barbaris & peregrinis non omnia obvia? Cur non Græcè & Latine discimus, ut intelligamus? Sint tamen nonnulla in Plauto nimis vetusta, ut opinantur, ideoq; nec intelligenda, nec ferenda. Annè propterea totum abijcias? Minimè gentium. Quanquam

Armat spina rosas, mella tegunt apes:
tamen nec mel ob exigua illa incommoda segniùs curamus. Sed & aliud est, quod respondeam: Plauti antiquitatem, quam prætendunt, & obscuritatem operà doctissimorum Virorum ita sublatam esse, ut ferè totus, etiam à tironibus intelligatur: ut qui veluti mortuus erat, & densissimâ caligine sepultus, jam redivivus quasi surgat & niteat, non aliter, quàm ubi — *niteo*
diffuso lumine Cælum. Dum verò hæc ita dissero: nemo putet, me antiquariis frigidam suffundere ac patrocinari velle, qui ex quovis angulo & arculâ undiq; casca, abolita & velut inter mortua vocabula conquirunt, sine iudicio, sine necessitate confarcinant, &
sic le-

sic lepidi, ac præ alijs sapientes videri
cupiunt. Non ita ego. Alia mihi mens.
Alius mihi risit Apollo. Ciceronis sen-
tentia, etiam mea est: *Non utendum ver-
bis ijs, quibus iam consuetudo nostra non uti-
tur: nisi quando ornandi causâ, parçè.* Nem-
pe infaniunt, qui ab omni usu remotis
temere utuntur, quæ nec ipsi satis in-
telligunt: nec alijs. At eruditiores phi-
lologi intelligunt! Non nego. Sunt e-
nim omnia vel è Græco, vel alio idio-
mate: & illis opus est cognitione o-
mnium, quæ in Latio, vel antiquissi-
morum, ad perfectionem Latinæ lin-
guæ. Sed illi pauciores. Alij pleriq; &
rectissime quidem, alio cogitationes
& operas suas conferunt, nec nisi per-
spicuitate sermonis delectantur. Illud
Aristotelis oraculû est: *Τὰς μὲν ὀνομα-
σιας τὰ πρᾶγματα προσαγορεύσειν, καθά-
περ εἰ ποῖοι.* Ergo, inquis, planè omnia
antiquata cōculcemus? Velim, mitius
agamus & omnia suo loco relinquamus:
si nimia, si ab omni usu remota, si præ-
ter necessitatē, si alia in promptu com-
munia ejusdem significatus. Ita nō est,
cur *Toper* malis, pro *celeriter*, ut solent.

Hæc enim pro re signatissima vox, etiam quatuor istis Syllabis, quæ singulæ breves & quasi currere videntur. Cur *arua arva* ponas pro *aruum*? *Primetia* pro *primitia*? *Amtruare* pro circû currere seu movere? Ita non est, cur sequaris Baptistam Pium Mantuanû, qui scripsit: *Pegasus qui me tollitum succussit, apud Campana pelvis Copam erit: inde petito, phoretumq; ex eo tempore praedito*. Sed enim quædam omninò antiqua tantum abest, ut omittamus, ut ab alijs omissa, cum Eruditis jure quodam restituamus: si modicè, si in tempore usurpata, si meliora tritis, si res ipsæ nesehariò urgeant. Talia sunt, eruditio quidè nota, opinione quorundâ obsoleta: *Præsscine, confiscare, vespillo, polinctor, polimenta, ipsilices, collutulare, duellum, & similia*. Quibus si meliora dantur ex ordine usitatorum; illicò illa omnia uno impetu jugulabimus. Sin minus: quidnî usurpes? sed, cum Cicerone, parcè & pro tempore. Audi quid noster Quinctilianus: *Verba à veteritate repetita, non solum magnos assertores habent.*

habent, sed etiam afferunt orationi majestatem aliquam, non sine delectatione. Nam & auctoritatem antiquitatis habent, & quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant. Sed opus est modo, ut neq; crebra sint hæc, nec manifesta: quia nihil est odiosius affectatione; nec utiq; ab ultimis & jam oblitteratis repetita temporibus.

CAPUT XI.

An omnia usurpanda, quæ in Cicerone, quæ in cæteris, nec præterea quicquam.

Magnum opus, imitari Ciceronem. Quod est non sublegere verba è Nizolio & in unam periodum sollicitè concludere. Majoris operæ est, nec unius dieculæ. Ipsum legas, nec semel, nec frigidè: sed cum curâ quadam & perpetuitate. Verba, phrasés, ordinem, periodos, harum initia, media, fines, connexiones, transitiones: totam deniq; orationis compositionem per-

pendas, inq; succum tuum & sanguinem convertas. Hoc est, nisi fallor, imitari. Quando autem nomina, quibus opus, neq; Tullius, neq; alij sufficiunt: quid facias? Ne hæreas in illa hæresi, quæ magnos olim Viros decerpit, quibus persuasum, nefas esse vocem aut phrasin admittere non Ciceronianam. Inter eos Bembus: qui cum rectius scribere posset, maluit pravo elegantia studio flectere orationem & euervare. Sic *propugnaculum* sive *ager è terra*, est illi turris terrea, *Fides nostra*, est persuasio. *Excommunicatio*, aqua & igni interdictio. *Peccata mortuorum remittere*, deos superos manesq; placare. Sed hanc ineptam & vere odiosam imitandi rationem Docti jamdudum satis exploserunt, &, quæ melior via sequendi priscos, quasi indice digito monstrarunt. In pauca verba hinc conferam. Nempe quæ Ciceronis, quæ Virgilij sunt, quæ reliquorum è nobiliore censu, diligentissimè usurpemus: sed non omnia, sed non sola. Non omnia: quia ætas nostra, aut res ipsæ
 mini-

minimè patiuntur. Tal' a sunt: *dicere ad clepsydram*: (nisi *præfatinucula mollias*) *descendere de rostris*: *curjam in in rostris defendere*: *patres conscripti*, pro senatu *opiduli*: *de pontanus*, pro sene: *cineres* pro cadavere: *byssum* pro sepulcro apud nos: *mehercle, mecastor, eaepol, pol*, pro certè, nã. Quia ista omnia nos penes ampliùs non sunt: quã causã repetam voces, quæ talium notæ? Ita perperam à nonnullis numina Ethnicorum, veriùs nomina, cum vero DEO confunduntur. Ut *Jovis, Iupiter, Dispiter, Apollo*, pro DEO. *Dij immortales, dij superi, dij cœlites*, pro sancta Trinitate. J. C. Scalig: l. 6. poet: *benibus, inquit, cum Dominum IESUM Heroa vocat, valde me commovit: sane vox impia & ureq, indigna: ne arguetur quãpiam Heroem è semisse deum, ex altero semisse Hominem. Non possunt monstrorum fgmenta vero DEO nostro convenire. Aliter verò res habet: quando magnates, & quicquid eminet, dicimus numen, deos, divos. Quippe ductu fit sacrarum literarum. Item quando nominibus artium & alia-*

aliarum rerum utimur καὶ ἐξοχῆν. præ-
 cipuè in versu: Ut *Sophia*, *Themistos*,
Vacuna, *Veneris*: sanè non peccamus.
 Veteres enim omne, quod in suo ge-
 nere excellebat, id est, τὴν ιδέαν, titulo
 divinitatis honorabant. Et quidem
 non malè: Ut nos accipimus hodie. Id
 enim omne *divinum*: hoc est, à DEO,
 ad DEVM. Ut *Themis* pro Juridicina:
Hygea pro *medicina*: *Minerva*, *Pallas*,
Mnemosyne pro artibus humanioribus:
Venus pro amore & cupidine: *Mars*
 pro bello: *Astrea* pro justitia: *Charites*
 pro favore & gratiâ: *Ceres* pro fru-
 mentis. Nec aliud, origines nominum
 volunt, quàm ea quæ posuimus. Ita a-
 pud Plautum in *Bacch*: *Spes*, *virtus*,
dies, *sol*, dij nominantur, non nisi καὶ
 ἐξαιρέτων. Ita olim canis, felis, allium,
 cepa, dies, nox, ignis ceu numina à su-
 perstitiosis colebantur. An ideò no-
 mina minùs toleremus, cùm & res i-
 psæ sint nobis, & desint meliora, qui-
 bus appellemus? Sed res manifesta.
 Digredior ad alterum, quod dixeram:
 Non sola quæ Ciceronis & reliquorum
 sunt,

sunt, nobis adhiberi posse. Quia res quædam innovantur : quædam novæ, acie humani ingenij excuduntur : an non tanti, ut novis quoq; appellationibus gaudeant? Nemo repugnat. Et hinc Theologi, Icti, Medici, Philosophi, quisq; in suâ arte peculiaribus fruuntur verbis & loquendi modis; quas in Tullij codicibus nō reperias. Si eâ causâ reprehendas, iniquus : si alia substituere velis, ineptus sis. Agè, optio tua esto, elige utrum malis : Aut *nescire*, aut *noscere res*, quæ Ciceronis ævo non fuerunt, nostro sunt. Vis nescire? Omnium stultissimus es. Vis noscere? Necessè est, ut nova recipias vocabula : utpote quibus, tanquam rerum Symbolis, scientia comparatur. Ejus generis sunt, *Trinitas*, *Trinunus*, *unio personalis*, *idiomata*, *baptismus*, *excommunicare*, *initiator*, *super attendens*, *profelytus*, *vasallus*, *hypotheca*, *rescriptum*, *sirupus*, *electarium*, *bronteum*, *sclopetum*, *bombarda*, *eliminium*, *commater* apud Melissum poëtam. In talibus observandum : ut necessitas ea facere jubeat; ut analogia exem-

exemplo sit; ut Eruditorum autoritas consentiat. Nam temerè pro libitu nova introducere velle in civitatem Romanam, nemini licitum. *Tu Caesar civitatem dare potes hominibus, verbis non potes; dicebat M. Pomponius Marcellus ad Tiberium.*

CAPUT X.

De perspicuitate orationis.

Alexarchus Marmon ita scripsit aliquando ad Cassandrensum imperatores: *Primis gaudere solares ovium. novis cum relinquerem divinarum operum viatores fatali fortunâ confirmatos. DE fontibus se abstergentes, montanosq; custodes.* Nebula hæc est: non epistola. Quis intelligit? Clarè itaq; loquamur. *Nobis prima sit virtus perspicuitas.* ait Quintilianus. l. 8. c. 2. Fit autem oratio perspicua: *si aliqua verborum copia adhibeatur: si verba usitata: si ordinata: si propria.* Copia requiritur aliqua pro naturâ rerum.

NUMC

nunc minor, nunc major, immò sæpè
 exuberans, semper autem sufficiens, ut
 periodus texatur plena, integra, soli-
 da, quodq; necessarium sit, addatur, ut
 ita lux intelligentiæ præferatur. Con-
 cisa enim brevitatis quid nisi tenebras
 offundit? Horatius: *Brevis esse laboro,*
Obscurus fio. — Brevitas inquã, intem-
 pestiva, & affectata; ubi plus triplo
 oportet intelligi, quàm legitur. Aliàs
 cum illo Doctissimo: *Nihil melius bre-*
vitatis, sed si simplex, pro re nata. Nihil peius
brevitatis, sed si affectata, immò etiam futa-
ta. Secundo, verba sint usitata, nec pla-
 ne exoleta: hoc est mundioris ævi au-
 toribus familiaria, nec incognita no-
 stris. Aristoteles 6. Top. 2: *πᾶν ἀσα-*
φές ἴσ' ἢ πᾶν εἰσθός. J. Cæsar apud Agelli-
 um: *Tanquam scopulum, sic fugias inaudi-*
tiam atq; insolens verbum. Quintil. l. 8. c. 2:
obscuritas est in verbis ab usu remotis. His
 quid addam clarius? Tercio, sint ordi-
 nata. Scitè Xenophon: *ἁδὲν ἔλας ἔλ-*
ῶν ἄριστος, ἔλε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἢ ἰάξις.

Ita etiam hinc. omnia colles bono
 vel legentis vel audientis, ut bene, ut
 cito intelligat. confusio & multitudo
 tam rerum, quàm verborum immo-
 derata procul faceſſat. Verba, ut vo-
 cant Grammatici, ne nimio interval-
 lo aut ſequantur, aut antecedant No-
 mina. Ne toties interſpergas, quæ ad
 rem quidem faciunt, ſed non è re ſunt,
 quorum res agitur. Si pronuncies, ju-
 ſta temporis interſtitia ſerves. Ut ſi
 παιδίος, cum illo ſacerdote Hammo-
 nis; erras: ſi diſjungas, erit παῖ δίος, id
 eſt, ſili Iovis. In ſcriptione, virgulas &
 puncta ſolicite apponas. Faculam al-
 lucent orationi, ſi quicquam aliud. Et
 hinc Nicanor Hermiæ filius Alexan-
 drianus aliquot libros compoſuit de
 Punctis. Cæterum de ordine ita Quin-
 ctil. l. 8. c. 2. : *Sermo, nec ſit tam longus, ut
 eum perſequi non poſſit intentio; nec traje-
 ctione tam tardus, ut in hyperbaton ſinis eius
 differatur. Quibus adhuc peior eſt mixtura
 verborum. Etiam trajectione, quæ & orato-
 res & hiſtorici frequenter utuntur, ut me dico
 Sermone aliquem inferant ſenſum, impedi*
 ſolet

solet intellectus, nisi, quod interponitur, breve est. Vltimò verba sint certa atq; propria, id est, quæ significant res ipsas & cas quidem unas, quibus ab initio certis de causis indita sunt. E Tropici & ambiguus, quid velim, rectiùs intelligetur, Aristoteles ait 6. Top. 2. πᾶν ἀσαφὲς τὸ κατὰ μεταφορὰν λεγόμενον.
Et lib. I. de coel. c. II: πᾶν πολλαχῶς λεγόμενον ἀσαφὲς. Si itaq; metaphora & quæ multis modis efferuntur, sunt obscura: necessariò Propria erunt perspicua. Nam Tropica non directè rem notant: sed eius cum alià cognitionē ac similitudinem. Ut dum ille apud Terentium vocatur *caudex, stipes, asinus*; sit κατὰ ὁμοιότητα, propter ineptiam, ruditatem, ignaviam. Tropica etiam non unum quid significant: sed duo, aut tria, aut quatuor, immò plura. Scilicet à quo: & ad quæ transferuntur. Ut igitur multæ viæ oculos: ita multæ notiones animum turbant & diversum abripiunt. J. C. Scaliger lib. 6. in The: de c. pl: c. 1: *Nil magis à Philosophiæ maiestate alienum, quàm uti ver-*

ii verbis equivocis ac metaphoricis. Inde
 concludo : Propria causam esse evi-
 dentiam, Figurata obscuritatis. Sed A-
 ristoteles & sibi & nobis videtur con-
 tradicere, 3. Rhet. 2 : τὸ εἰσαφεῖς καὶ τὸ
 ἠδύ ἐς: μάλιστα ἢ μετὰφορικά. Id est, *maxi-*
mè evidens & jucunda est metaphora. No-
 dus hic : sed non Gordius : nec ense,
 sed distinctione facillè solvèdus. Nem-
 pe aliter Eruditi : aliter populus in
 cognitione rerum occupantur. Illi sa-
 gacitatem mentis & probam ratio-
 nationem potiùs sequuntur : hi sen-
 sus. Illi τὰ ἐπιώδη & interna speculari-
 tur. hi ore hiante circa externa & si-
 militudines hærent. Quæ causa, quod
 utrisq; alia sint vocabula. Utpote quæ
 πραγμάτων ὁμοιώματα καὶ τῶν ἐν τῷ ψυ-
 χῇ παθημάτων σύμβολα. Eruditiis clara
 sunt, quæ rem, ut est, propriè, nudè, sine
 ornatu, sine tralatione, animo repræ-
 sentant : iisdem obscura, quæ obliquè,
 quæ metaphoricè seu ex similitudine
 quadam signant. Contrà populo illa ob-
 scura sunt : hæc clara. De quibus lo-
 quitur Philosophus in Rhetoricâ, ubi
 ora-

SI
oratorem pro populo instruit. Ita
plebs meliùs eruditur de Regno DEI,
si conferatur cum nuptijs, cum agri-
colatione, quàm si aliam viam infi-
stas.

CAPIT XI.

De elegantia & pu-
ritate.

Munditia, ait Comicus, *illecebra animo
est amantum*. Grator cibus, ubi patinæ
tersæ & nitidæ. Ita res libentiùs & ma-
jori cum jucunditate noscuntur, puris
atq; elegantibus verbis ornatę. Et hæc
constans est omnium, quod scio, do-
ctorum sententiã, nec deserenda no-
bis: licet unus & alter aut etiam ter-
tius, velut

— *amica luto sus*
ceno barbaræ ac sordidæ dictionis se
polluat. Qui autem puritatem illam &
elegantiam consequamur? si, quic-
quid singulare & eximium in classi-
cis Latinæ linguæ autoribus depre-
hendimus, quæ verba, quæ phra-
ses,

ses, quâ ordinem & structuram, presso
 pede sequimur: quicquid contrarium,
 fugimus. J. C. Scalig. l. 6. poet: *Non
 quavis vox, non quavis junctura vel vocum
 vel numerorum inter genuinas legitimasq[ue]
 referri debet. De verbis.* Ea singula sint
 verè Romana, id est, cum judicio &
 delectu ex optimis autoribus su-
 mantur, & quidem eo significato à
 nobis usurpentur, quo ipsis. Quod
 colligitur è tota orationis serie &
 unius loci cum altero comparatio-
 ne. *Valla* in eo multus est sex lib: ele-
 gantiarum, qui meritò ab Eruditis ma-
 gnifunt; majoris futurus, si ipse mi-
 nor esse voluisset. Jam ingenio fretus
 suo alios non semel inique vellicat, ut
 has literas docti animadvertunt. Ita
 non barbarè loquimur, judicio *Vallæ*
 l. 6. c. 10: sed eleganter: quot calen-
 dis, quot mensibus, id est, singulis ca-
 lendis, mensibus: quia illud *Plauti*,
 hoc *Varronis* l. 4. L. L.: & quidem sal-
 vâ analogiâ. *Pastus* homini convenit,
 ait idem l. 4. c. 53: sed eleganter et-
 iam brutorum dicitur. *Cicero* 2. de
 Na.

Na. de: *quis pecudum pastus?* i. off: *pastum*,
latibula. Ita *dissertatio* vox pura, quia
 Ciceronis in *Top.* Cōtraria elegantiae
 sunt vocabula barbara & lutulenta,
 quorum alia Sues, alia catulos, alia ca-
 pras, alia semitas ac trivia olent. Intel-
 ligo barbara, non more veterum, qui
 ita vocabant omnia exotica, etiam
 sanctissimam gentem, à qua & sapien-
 tia aliquid & linguā suā hauserant: sed,
 cum prater omnem rationem vel e
 Germanis, vel Græcis vel alijs, vel La-
 tinis quoq; contra analogiam & usum
 verè Latinum, Latina miserè consuun-
 tur. Ut *Bannitus*, *bastardus*, *transubstan-*
tatio, *chorissatio*, *logissamentum*, *intuitare*,
excopiare, *victualia*, *reverentialis*, *qualifica-*
us, & id genus alia. Quorum farragi-
 nem comportavit *Cornelius Crocus*: sed
 non sine errore. Multa enim insul se
 explicuit, nec pauca in sordidorum or-
 dinē redegit, quæ Bonis autoribus co-
 gnitissima. Illis vero barbaris, quæ sta-
 tuti, cave annumeres ea, quæ ex inopiā
 vel *analogiam* & eruditorū consensu fa-
 cta aut ficta sunt. Tantum abest, ut o-
 ratio-

rationem infuscent, ut illustrent ma-
 gis, quando bellè rebus suis respon-
 dent, & florem priscae Latinitatis sua-
 viter redolent. *De phrasibus.* Atq; hæ ab
 autoribus Latij sæpe jam laudatis pe-
 tendæ nobis: nec temere fingendæ a-
 liæ. Ut *privilegium ferre, infamiam concipere, in cogitationem venire*, Cicero. *Facere se hilarem, facere verba, ager sub urbe*, id est
 suburbanus, Terentius. *Paer ex aula*, id
 est aulicus, Horatius. *Pullus de corti-*
Martialis. *Tenere ora*, Virgilius. *Poscere*
ad ravim, suffundere aquilam, Plautus. Et
 quis omnia, numeret? Barbara sunt:
opus operatum, facere sermorem, multum de
se tenes, pro vna persona, pro posse & velle
nostro. Si seorsim sumas: omnia sunt
 Latinissima. Conjuncta, degenerant:
 quia sine exemplo & usu castæ anti-
 quitatis. *De ordine.* Is res divina, ac om-
 nis munditiæ & nitoris initium.
 Tantò magis enitendum nobis, ut ubi-
 que illum observemus: quantò lan-
 guidiùs curant alij. Observamus ex-
 positu dictionum; qui tam judicio-
 aurium, quàm exemplo autorum diri-
 gitur?

gitur: & quidē in principio, medio, me-
 ta orationis vel ligatæ, vel pedestris.
 Colloçemus *litas*, ut blanda suavitas
 cōcilietur, quātū potest, siue asperita-
 te. Nam ubi congerimus multas ejuſdē
 ſoni aut cognati, improvide ſine cau-
 ſā; fit *νανοφωνία*, & lepor elegantia
 perit. Sic Catullus: *aridā modò pumice*.
 Poterat *aridò*. Prohibebat concurſus
 trium O. Alius ita: & *conyce grandia*
saxa. Virg. 4. Geor: elegantius. *Trans-*
verſas ſalices & grandia conyce ſaxa. Cice-
 ro: *Non ſolum ipſa fortuna cæca eſt: Sed eos*
etiam plerunq; efficit cæcos, quos cōplexa eſt.
 Recte & Latine alius diceret, ſed non
 eleganter: *Eſt non fortuna cæca ipſa ſolum:*
ſed efficit cæcos eos etiam plerunq;. Nempe
 cuiq; linguæ propria ac peculiaris
 quaſi congenita eſt convenientia ac
 ſeries; quā ſi mutes, hoc eſt, ſi poſt-
 ponas, quæ ſolet præponere, jã decus e-
 legantię tabeſcit. Ut Virg: *atq; equide me-*
mini. Inverſim. *equidem memini atq;*. Ad
 hanc enim faciem quidam ponunt ad-
 verbium. Ita in Germanica, ſi quis ver-
 bum præponat Nominī: ſi ſubſtanti-

vum adjectivo : si pronomen nomini, etiam à plebeculâ ridebitur. Atq; hæc de elegantia.

CAPIT XII.

De accuratâ loquendi
ratione.

Potes Latinè loqui : etiam bene Latinè : etiam perspicuè : etiam eleganter : nec tamen accuratè. Quanquam elegantix cultus, nec non perspicuitas quæ è proprijs, viam sternat ad apicem velut accurationis. Hæc igitur quibus adminiculis indaganda, videbimus. At quid refert ? inquis. Certè plurimum. Si commodè, si accuratè ex æquo Eruditi (nam populi non est) loquerentur, res intellectu faciliiores essent : nec tantæ *λογωμαχίας*, quæ non parùm concordix & veritati insidiantur. Quid enim post verba aliud, quàm verbera & pugnæ ? Exempla *ante pedes interq; manus sunt obvia nostras*. Ita quondam imperator *Fridericus Aenobarbus* bellum intulit acerrimum *Hadriano*

IV. Pa-

IV. Papa, occasione è voce *Beneficij*:
 quam aut ille sinisterius accepit, aut
 hic potius male usurpavit. *Vnius literu-*
la erratum (ait Muretus) interdum eas et-
 iam eruditissimis hominibus offundit tene-
 bras, ut, tanquam in illuni nocte errantes,
 quòvis potius perveniant, quàm quò volunt.
 Duplici autem modo, ni fallor, accu-
 ratè & exquisitè loquimur. *Primo, si ad*
naturas rerum, de quibus loquimur, voces u-
nice conformemus. Altero, si ea voces propria
sint. De primo. Vox cum re, tanquam si-
 gnum cum signato suo aptissimè, & si
 potest, κατὰ πᾶντος conveniat. Nec ma-
 jus, nec minus, nec aliud, nec alio ordi-
 ne dicamus, quàm res, de qua dicimus,
 finit. Res enim mensura dictionis est.
 Absint igitur ὑπερβολή, περισσολογία,
 ταυτολογία, μείωσις, συνεκδοχή, μετωνυμία,
 ὑστερον πρότερον & si quæ alia: quibus suo
 loco ab oratore & Poëta adhibitis, po-
 puli aures & animi permulcentur. Sic
 non loquimur accuratè: *Atramentum*
viride, rubrum, in Nomencl. Frischlini. Pu-
 gnant enim inter se atrum & viride. *Tripu-*
dium in aurâ: quia verè in terra.

pagabitur ad seram usq; posteritatem, si qua
 futura est. Unum quippe interimit al-
 terum. Aut omittatur Sera. Solibus &
 thereis, altoq; recanduit aestu. Unus sol.
 Nec pro diebus accipitur. Obstat, etbe-
 reus: & quæ sequuntur. Et pariter vul-
 tusq; deo plectrumq; colorq; Excidit — Co-
 lor & vultus copuletur. Aliàs ἀτακτον.
 Nec pueris, nisi summa fames premat esuris-
 esq; : ταυόλογον. Quale & hoc : Quo te
 animo, quo te pectore, mente canam? Ita J. C.
 Scaliger reprehendit eum, qui vacuum
 per inane descripsit : qui virgineos partus
 dixit verendos partus ; cum unus sit & u-
 nicus. Idem : neq; de cervo uno, capi-
 ta, in plurali numero : Aeriâ victor fixi
 capita ardua quercu. Idem · neq; bonum
 illud ; sive mutato jaculis veneno. Mutatur
 enim jaculum veneno; non jaculo ve-
 nenum. Idem : interea dulces somnos no-
 ctisq; soporem. Exuberat sopor post som-
 num. Idem :

Qui cælo radiens ignes, que sidera mundo
 Labantur tacito, stellis quibus emittet ar-
 dens,

Signifer ---

Et su-

Et superflua sunt & malè disposita.
De altero, id est. proprietate nunc agendum.
 Sed quâ semitâ? cujus ope? Liberè dico: E philologis, quos legi, quos vidi, legi autem multos, vidi plurimos, neminem nominare possum: qui ex professo ostendat nobis modum, quo *idiótas* dictionum capeſſenda ſit. Clamant: propriè loquaris, propriè. Sed quomodo? Ad Grammaticos me ablegant? Hi non ſatis. Tantùm enim monſtrant rationem emendatè loquendi, & quidem ex autoribꝯ meliorum gentium; quibus anima Grammaticorum debetur. Autores mihi commendant? Accipio: Sed non unâ, quod volebam. Etenim quia Cicero, Virgilius, Terentius, alij unâ dictione variè, non de unâ re, utuntur: quî ſcio, ubi propè, ubi Tropicè? Exempli gratia: *superbus* vulgo dicitur arrogans & elati animi. Cicero: *rex superbus: superbum se prabuit in fortuna.* Id est, elatus fuit. Virg. *Belloꝝ superbum*, hoc est nobilem, excellentem, ut explicant. Idem: *Tibur superbū*, id est altum. Idem: *Spolijs superbi*, id est or-

est ornati. Idem : *superbum Rhamnetē*,
 id est opulentum. Plantus amph. a. 1.
 f. 1; ME : *faciam ego hodie te superbum, nē*
hinc abs. S O : *quonam modo?* ME : *aufe-*
rere. Ita *pupula*; *pupilla* Ciceroni, Lucre-
 tio, Horatio, Plinio est nigrum illud &
 volubile in medio oculi. Et Carull:
capit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem.
 Dicant, utrum propriē, nec ne? Si pro-
 priē: dent causam necesse est. Nam
pupa, unde & *pupula* & *pupilla*, est minor
 puella, item icuncula; apud Martia-
 lem, Persium, alios. Veluti *pupus* est
 puer parvulus apud Varronem: ex
 quo *pupulus*, *pupillus*. Quanquam hic u-
 sitatē dicitur impubis, qui in potestate
 patris esse desijt morte, vel emancipa-
 tione. Cicero: *mortuus est, reliquit pupil-*
lum parvum filium. Cū igitur *pupilla* a-
 liud, aliud *pupa*; aliud *pupus*, aliud *pupil-*
lus notet: quodnam eorum primō ac
 propriē? Sunt quippe ejusdem origi-
 nis. Mihi sic videtur, salvā cujusq;
 sententiā: Triplici modo proprieta-
 tē vocis erui: *vel ē rebus, vel autoribus,*
vel originibus. Primō, ubi præcunte Na-
 turā,

turá, dictio convenienti literarum
 potestate & positu respondet sono rei,
 cujus symbolon, tum illius propria ju-
 dicatur. Ita *baubari* à voce canum ma-
 jorum fecere. Et Aristophanes in *Ve-*
spis, cum canes æmulari vellet, *av av*
 commentus est. *Tinnire*, vel aurium
 judicio, est rerum exiliter sonantium,
 ut laminæ vel fistri. Ita suis *grunnire*
 proprium est. Ejus enim vox non a-
 lia. Si hominem grunnire dicas; me-
 taphoricè loqueris. *Deinde*, ubi Auto-
 res eodem modo semper aut maximà
 ex parte, vocabula usurpant; & quidem
 primigenia id est Ebrææ linguæ: cæ-
 teræ quippe ex eâ profluunt: tum in-
 de propria colligitur significatio. Hic
 enim *ὄνομαστοθέτης* ut primus; ita per-
 fectissimus causa nobis sit, cur res ita
 nominetur: quanquam sine causâ ab
 illo ita nominata non sit. Ut *שק* u-
 biq; est cecinit. *שק* apud omnes est sac-
 cus. *שק* perpetuò est, in mœrore ja-
 cuit, luctuosus fuit. Ergo proprij illi
 sunt significatus. Nam quid ulterius
 moliri aut velis aut valeas, non video.

Vltimò, ubi Latinum ex alio Latino, vel hoc ex Græco, vel utrunq; ab Ebræo traducitur, sed appositâ semper causâ: ibi per illum flexum aperitur proprietas. Ut *sextans* à *sex*: hoc ab עֶשֶׁת: utrunq; à שֶׁטֶם *Hemina*, ημίονον, ab חֶמֶת. *Metallum*, μέταλλον, מֶטַל. Ita *pupus*, *pupa*, à פּוּפָה id est *pupus* fuit. *Pupula* & *pupilla* sunt *Deminutiva*; & dicuntur de oculi medio, quod Germanis est *målum*, à figurâ; nõ *idiôs*: sed quâ inibi icuncula visitur. Plura exempla huc non aggeram. *Orliarem* librum *de Originibus*, qui prope diem cum BONO DEO è tenebris in lucem prodibit.

CAPUT XIII.

De pronuncia-
tione.

Orthoëpèa dirigitur imprimis à *Natura*, & vel in literis consistit, vel in *quantitate*. *Literæ*, ut hic spectamus, totæ sunt opus *Animæ nostræ*, sed per instru-

instrumenta peculiaria, quæ Natura
 addidit. Nempe sunt pulmo, arteria
 aspera, guttur, palatum, lingua, den-
 tes, labia & cætera: quorum motu
 & conformatione sonus aut vox effi-
 citur tam diversa, tam varia; atq; ita
 Literæ singulæ constituuntur & ab
 alijs distant. Ut igitur omne, quod à
 Natura, certum est ac distinctum:
 sic quoque literæ. Philosophi cla-
 rius: *omne quod est, suam habet formam,*
per quam est. Quid nî etiam Literæ?
 Ea est *potestas*, ut vocant, quæ in pro-
 nunciatione consistit, indeq; digno-
 scitur. Hoc principium si admittis,
 & cur non admittas? *Primo*: una
 litera unius erit soni. Nec A sive
 leniter, ut in *amo, facio*: sive crassè
 ut in *ara, effari*; efferas, fit alia.
Gradus non variant essentiam, inquit
 Metaphysicus. *Secundò*: potestas u-
 nius non misceatur cum alterâ. Ita
 C quando ab initio vocis præcedit
 immediatè Vocales A, O, V: item
 L, R, more veterum & Græcorum
 effertur. Ut cacumen, conor, curo,
 clau-

claudio, crimen. Et rectè quidem. Ea enim potestas est. Ergò non mutabitur: quando Cab initio præmittitur E, AE, OE, I: ut cella, cæcus, coetus, cinis, cimba. Nec video, quid obtendas, præter consuetudinem. Sic H in *Mihi*, nihil cum CH confundimus. Sic Græcanicum H malè proferimus per I. Indicio sit vox ovium βῆ βῆ Iliad. *Bee Bee*, non *Bi Bi*. Tertio: Ubi duplex sonus, ibi non vera litera. Hæc enim elementum simplex & indivisibile. Quarto: Bivocalis non unius simplicis, sed utriusq; vocalis, tanquam principij, sonum retineat: Ut AV *autor*, non *af*: EV, *Eurus*, non *ef*. Sic etiam AE *caedo*, non E. OE *coetus*, non E. Quæ causa, quod poëta quoq; AE duxerunt, *aulai*: & in priscis tabulis, est *Aimilia*: itemq; sint exemplo Græci, qui ut *ai*, ita reliquas diphthongos divisere. De cæteris eruditæ illæ animæ, Julius Scaliger & Justus Lipsius subtiliter differunt: quò te remitto. Me ad quantitatem, quæ à motu est vel celeri vel tardo: aut, ut vulgo, à tem-

tempore vel brevi, vel longo. Ubi lite-
 ra brevis: properet lingua & raptim
 efferat: ubi longa, cunctetur & moru-
 lam trahat. Ita antiqui *adra, feelix, pop-
 ulus* pro arbore, *fecet, castris* dicebant:
 ut esset discrimen à brevibus, *hara, fero,
 populus, facibus, sibi*. Unde autem cogno-
 scitur quantitas? *Vel è Poëtis, vel Orig-
 nibus, vel Analogiâ, vel Naturâ*. Exempli
 gratia: *ad lor, Lucret. quod, dianus, Ca-
 tul. Euripus, Dru'da, Ovid. Cuc'ulus, com-
 petor, temetum, fortunus, ali qui, Horat.
 Hem'na, Pers. Depec'lor, quia à peculium.
 Vitupero, à vitium. Neut'quam, à ne & uti-
 que, utiquam. Mete'ron, mete'ris, quia μετέω-
 ρον, μετέωρος. Parasce'ne, quia παρασκευή.
 Resina, quia ῥησίνη, ῥησίνη. Idolum, quia
 εἰδωλον. Di'tius quia diuturnus alteram
 corripit. Patr'mus, matr'mus, mediâ lon-
 gâ, ut bimus, trimus. Clandest'nus, ut ma-
 tutnus. Appar'tor, ut exhibitor. Ultimò i-
 p'sa veluti natura monet, quod η, ω, αs,
 εs, eu, oi & reliquæ fiant longæ necessa-
 riò, itemq; ubi duæ mutæ cõcurrunt,
 ut *ardor, annus*. Geminatur enim tem-
 pus, & ita mora evenit atq; productio.*

Contrà *s* & *o*, quia absq; cunctatione, quasi propero spiritu efferuntur, nunquam non corripì videmus. Sic prima in *rescisco*, *resto*, *respondeo*, producitur: quoniam *S* naturâ suâ, sibilat, & ita tempus aliquantulum longius facit, quàm alia litera post *RE*, ut *retribuo*. Quanquam nec poëtarum calculus hic desit, qui concorditer producant. Nam illud Ovidij sanum non est: *Ense rescindendum est*. rectè enim: *Ense recidendum*.

CAPUT XIV.

De scriptione.

Orthographia est artis institutum, & absolvitur, si initium scriptionis, si literæ, si voces singulæ spectentur. *Initium* ducunt Ebræi & Ægyptij à dextra ad sinistram introrsum. In Beatorum insulis ad meridiem sitis à superiori parte, rectâ lineâ descendendo ad inferiorem. Latini & aliæ gentes à sinistra dextrâ versus extrorsum. Nec vero *ἀναστροφῶς*. Nam motus manus nostræ

stræ naturalis extrorsum est. Quare
 pugna quoq; sic cietur, & cætera ope-
 ra, extento brachio, non retracto per-
 aguntur. Præterea nobis relinquitur
 sub oculis ad contemplandum, quid
 quantumq; descriptum sit: quod istis
 calamo ac manu tegitur. Illud autem
 quanti? Omnes literas, præter unam
 atq; alteram, cujus initium, dum scri-
 bitur, à parte superiori capitur modo
 perpendiculari; à sinistra inchoant
 Judæi, & magnâ ex parte easdem in
 dextram terminant. Quæ igitur par-
 tium ratio, ista etiam sit totius: &
 quemadmodum linearum tractus; ita
 literarum quoq; ordo servandus. *De*
Literis. Harum & quantitas & figura
 inspiciatur. Veteres, ut *quantitas* illicò
 oculis subijceretur; ubi longa, voca-
 les duplicârunt. Victorinus Afer: *Ne-*
vius & Livius cum longa syllaba scribenda
esset, duas vocales ponebant. Ut aara, voo-
cem, seclix. Secuta etas usurpavit pro gemi-
natione lineolam, quæ superposita à è ò ù: i
verò longiori figurâ produxit, ut vus, adllis.
 Hodie non multùm ab simile, quod

scribimus mālū, musā; amârunt, quis,
 urfētus: aut lineâ simplici, instar acuti
 & gravis apud Græcos: *edit, populus:*
modo, bellum, castè, cùm, sanius. Quæ
 non solùm quantitatem illicò signifi-
 cant: verùm etiam perspicuitati ora-
 tionis aliquando seruiunt. *Figure,* ut
 nunc sunt, à Romanis tramissæ, inte-
 grè retineantur, nec quid aliunde mi-
 sceatur. Quamvis enim Latina fluat
 ex antiquiori origine: tamen ut mul-
 ta sibi peculiaria arrogavit: sic etiam
 proprias literarum figuras. Scilicet ut
 discrimen esset ab alijs, & ab esset con-
 fusio. Ergo ne scribatur *ψalmus:* nec
lacryma, Sylva, Philosophus. Quia voces
 illæ fruuntur jure civitatis Romanæ:
 etiam togam induant necesse est, hoc
 est, literas. Ecce suffragium Gifanij:
Quæ Romana sunt vocabula, licet Græcia
originem debeant suam, non tamen ideo scri-
pturam sequi debent verbi. causa: deius,
hiems, stilus, silva, tus, Tuscia, inclitus, du-
plus, clipeus, ligurrio, scena, lacrima, Vli-
xes, &c. Consuerunt enim Latini quadam ab
alijs sumta nomina ita conformare & consi-
gnare,

gnare, ut originem ipsi agnosci nolint, suaq;
 profus esse, ut existimetur. *Silva* nunc scri-
 bunt omnes & hiemsi Latino, qua tamen à
 Græcis profecta, &c. **DE VOCIBUS.** Hæ sin-
 gulæ ut rectiùs exarentur, faciunt
*Manuscripta, Monumenta, Usus Erudito-
 rum, Origo.* Manuscriptis, si cõsentiant,
 si à literatis ¶ sint; multum debemus
 fidei: Ut & monumentis antiquis;
 minus tamen, quàm illis. Nam qui ista
 sculperunt, plerunq; fuere rudes ac
 plebei. Igitur Usui Eruditorum ali-
 quando, præ illis dissentientibus, plus
 credimus; plurimùm Originationi:
 quâ, si & manuscripta & tabulæ asso-
 nent, nihil certius. Ita rectè scribimus:
Tropæum, quia Græcum est τροπαῖον. *De-
 licia*, non *delitia*: quia à *lacio*, & scribi-
 mus, *delicatus*. Contrà *blanditia*, quia à
blanditum. *Factitius*, quia à *factum*, *fa-
 ctito*. *Novitius*, quia *noviter*, *novatum* di-
 cimus. *Fabricius*, quia à *fabrico*. Litera
 enim originalis ubiq; maneat, quan-
 tum potest. *Suboles*, omnium & libro-
 rum & lapidum assensu: fitq; à *suboleo*,
 ut *adolescens*, ab *adoleo*, *adolesco*. Nec

unquam V in SVB, migrat in aliam.
Haut, quia ab *Aut*. Omnis disjunctio
 obtinet vim negationis. J. C. Scaliger
 c. 22. L. L. *Cætera*, quia *æge* & *ægeæ*. *Hemi-*
na, non *hemina*, ab *huln*. *Coena*, quia à
novn, &c. Ultimum, quod huc facit, est:
 Malè divelli dictionem in fine lineæ i-
 ta: *hom-ines*, *rat-io*, *om-nis*, *o-bruo*, *a-deo*,
ic-tus, *ap-tus*. En regulas. 1. Syllaba in-
 tegra sit, nec scriptione traijciatur. Ut,
ho-mines. *ra-tio*. 2. Literæ partium in
 compositis ne disjungantur. Rectè
 contrà in hunc modum: *ob-ruo*, *ad-co*.
 3. Præter illa duo, quæ simul à princi-
 pio vocis sumi possunt consonæ, eæ
 rectè in eadem syllabâ conjungun-
 tur. Ut *o-mnis*, quia *mnemosyne*: *i-ctus*,
 quia *Crespho*: *a-ptus*, quia *prisana*, dici-
 mus. Et hic finis sit *Manuductionis* no-
 stræ. Docti has literas ignoscent, si quid
peccavero, -- uti certè vereor. Quis si-
 mul & semel omnia rectè? *Cætera*,
 quæ adhuc *mecum compressis agito labris* -
 suo loco in *Originibus* pro re & copiâ
 nostrâ fusiùs persequemur. Hic satis
 sit vel gustum dedisse, vel jecisse fun-
 damenta.

ADA-

ADAMVS THEODO-
RUS ADAMI F.
SIBERUS
CHRISTIANO BEC-
MANO S.



*SCRIPTUM tuum, mi
Beckmane, vidi, legi, pro-
bavi: & quid dicam? à
multis annis, quod magis
ad humanitatem faceret, quod qui-
dem à nostris hominibus profectum
esset, non novi. Te rectum ingenij
& iudicij! qui cum severioribus
philosophie studijs, in quibus ipsis
singulari cum laude versaris, miti-
ores has literas, sed non minoris o-
pere aut utilitatis, coniungendas
statuis. Linguas enim nemo pumat
aut estimat, nisi quem melior atque
altior mens habet; nemo negligit*

F 4

aut

aut spernit, nisi idem hominem igno-
 ret, prodat, perdat. Tamen à vulgo,
 ut ais, pro nugis & quisquilijs ba-
 bentur: quid refert? etiam à pecore
 grunduli nux myristica, etiam à leo-
 nibus Cumanis cinnamomum. At
 magni sunt, & facta semper sunt à
 magnis, hoc est, ab ijs viris, qui om-
 nis divinae atque humanae sapien-
 tia in omni meliori aetate optimi
 maximi promi condifuerunt. Vete-
 res Græcos, aut Latinos vides?
 omnes doctos, omnes disertos vides.
 Nostros? & hic habes, quorum u-
 num atq; alterum & barbariei op-
 ponas, & laudatissimæ ipsi antiqui-
 tati compares. Itaq; contra Brutos
 & Mutios istos, qui rationem scilicet
 excolunt, orationem negligunt,
 & res, ut ipsis placet, se aiunt cura-
 re, de verbis negant laborare, à
 tuis

tuis partibus in utraq; lingua stare
 vides facundissimos Medicos, diser-
 tissimos Iureconsultos, eloquentissi-
 mos Theologos, ac tantum non ipsius
 naturæ voce loquētes Philosophos.
 Aut Græcè & Latinè non loquun-
 tur Hippocrates, Galenus, Oriba-
 sius, Celsus, Marcellus, Scribonius?
 Pandectæ, codex, institutiones, no-
 velle, non Latino & Græco sed Ja-
 ponico sermone conscriptæ sunt?
 Justinus, Clemens, Nazianzenus,
 Damascenus, Epiphanius, Chryso-
 stomus, Basilius, Theodoretus, Theo-
 phylactus, Tertullianus, Cyprianus,
 Arnobius, Lactantius, Ambrosius,
 Augustinus, Hieronymus, & patres
 ad unum omnes barbari sunt? aut
 barbari denique sunt Plato, Aristo-
 teles, Theophrastus, Plutarchus,
 Epictetus, Cicero, Seneca, Plinius,
 F 5 Boëthi-

Boethius, alij? Atque ut de nostris
 dicam: Ful. Cæs. Scaliger, qui unus
 instar sexcentorum est, barbarus
 fuit? belienismi rudis fuit? Lati-
 nitatis ignarus fuit? humanitatis
 expers fuit? Imò fuit ille, si quis
 mortalium alius, non modò consum-
 matissimus philosophus, & perfectis-
 simus medicus, sed idem & pœta
 divinissimus, & orator facundioss-
 simus, & utriusque literaturæ lon-
 gè scientissimus. Quod si quis tam à
 ratione recta aversus, tam ab ora-
 tione diserta alienus est, ut quam-
 vim ista habeant, non intelligat, aut
 negligat: eum tu, si me audis, suas
 sibi res habere, & à magnis illis no-
 minibus, ac penè dicam numinibus
 manum mentemq; abstinere jube-
 bis. Sed redeo ad Manuductionem
 tuam: cujus ego operæ mentem bo-
 nam,

nam, industriam, utilem esse censeo,
 tractationis ac stili genus eruditum
 prore nata esse nemo negabit, nisi
 quem stupor prepedit, aut livor.
 Nec tamen dissimulo, potuisse aliqua
 limatiora, sive auctiora fieri. Sed
 illa neque maximi momenti, neque
 numero multa sunt. Et hoc Catone
 principia ista contenta esse possunt.
 Utinam illi, qui ad scholarum guber-
 nacula sedent, haec talia imitentur
 aut emulentur! ac potius meliora
 etiam ipsi proferant! Certè opti-
 mis literis hac ratione multis parti-
 bus melius esse posset. Verum cuius-
 modi pueritia informatores passim
 habeamus, (Hayneccios, Hoefche-
 filios, VVilkios, VVeitzios, Schel-
 lenbergios, VVagneros, Seberos,
 Preilios, Et si qui alij tales, semper
 excipio, de ijs loquor, qui nihil minus
 sunt,

sunt, quàm quod profitetur,) res scilicet clamat ipsa. Qua enim manu pueros suos ad linguam Latinam (ea enim, ut & Græca, in scholis tradenda, atque inde in Academias transmittenda est) ducere dicam eos, quorum proprietas & elegantia loquendi pleraque omnis illa est: Hui, quàm terribile frigus est extra! Tu puer suspende nasum super librum, aut ego tibi dabo poenam. Quis est ille, qui verberat ad januam? His enim eloquentia rudimentis pueritiam imbuunt. Nec mirum: ita loquitur ipsorum Cicero: ita ipsorum Terentius & Plautus loquuntur. Nam quid de Græcis literis dicam, quas cum ignarissimis sciunt? An enim tibi Græcè scire videatur is, qui τοῖς Φιλελήνων dicat? Atqui hoc verbo

verbo novimus quendam operam
 alijs suam etiam publico program-
 mate obtulisse, & monstrum illud
 verbi, tanquam poëtice forma-
 tum, defensum ire voluisse. Nec
 verò aliter fieri potest, quàm diu
 germanam docendi ac discendi ra-
 tionem non instituunt, &, quod
 caput est, caudices illos decumane
 barbariei è juventutis manibus
 non excutiunt. Quorum quidem
 ratio si perseverat: (& perseve-
 rabit, ut insanabile hoc cacoethes
 video) narrotibi, exequias brevi
 eundum erit Græca & Latine li-
 teraturæ universæ. Ut enim tu
 alter Varro sis, Taubmanus alter
 Plautus, alius nescio quis alter
 Cicero, aut Virgilius: tamen vos
 vestris paucorum opibus nunquam
 efficietis, ut stribligo illa, quæ publi-
 cè sit-

cè florescendo magis magisq; in-
 valescit, & jam pro genuina lin-
 guarum meliorum indole & habetur,
 & docetur, & asseritur, non
 fasces ut ita dicam, literatorios,
 Rome atque Athenis invadat.
 Sed hæc videlicet Simonidi, aut,
 ut melius ominemur, magistratui
 committenda sunt: nos autem,
 quantum in nobis erit, tanquam
 boni rei literariæ cives, illas ipsas
 Græcas & Latinas (tu etiam He-
 braicas addas licet) literas si non
 ab imminente fato defendere, at no-
 bis saltem & Musis conservare stu-
 deamus. Vale, & ad Origines tuas
 eliminandas ac perpolicendas, imò verò
 publicandas, & juris ac boni publici
 faciendas seriò accingere. VVitte-
 berge propriè Cal. Jan.

CICIDCVIII.

CASP. BARTHI
DE LINGVA
LATINA
EPISTOLA.

CASPAR BARTHIUS

S. P. D.

Nobilissimis & clariss. Dnn.

MELIORI GOLDASTO HAIMINSFELDIO

&

GOTHOFREDO JUNGERMANO.

QUAM EPISTOLAM IN GRATIAM
Quinius de sodalibus meis adolescentis, nuper
scripsi, cum ad vos mittere, non una mihi causa
Præcipue vero illa fuit, quod tanti nominis Juve-
nes amicitiam meam vobis acceptam litteris testati
fatis presentibus. Ingratissimus ego, si qualicumque
officio grande beneficium non rependere coner. Acci-
pite hoc ergo volentes quicquid est puerilis & infanti-
scribiti, & amorem illum nostro mutuum pergentes,
quod polliciti estis satis humane, de Typographo ap-
ud vos mihi circumspicite, non enim fallam, edenda
mittere mea potius amicis, quam inter morosophos
nostros publicata videre ejusmodi typis & papyro,
qualibus Juvenilia nuper traducta sunt. Quæ ideo
vestris oculis indigna cenfeo, quod post homines natos
deformus nihil visum autumo. Sæpe ea Editio tax-
dium mihi erga omnes has litteras creavit. Verum.

Δεῦτε ναυηγὸς ἐν εὐρῆ θαλάτῃ
μέμθετα.

Cavebimus ergo. Vos, quod semel promissistis, cura-
bitis.

Ita Valecte. Animi mei. Mense Xbri.
VVitebergæ.

CASPA-

CASPARIS BARTHI

DE

LINGVA LATINA

EPISTOLA.



UEM Populum Deus im-
 mortali Orbis terrarum principem præ-
 posuit, ut omnium serè gentium diver-
 sissimi mores unius legibus componeren-
 tur, ejus quoque linguâ commercium fecit disjunctissi-
 mis nationibus, ut copulâ quadam connexa, quæque ex
 ingenio Domine urbis loquerentur, ne, quos unitati
 subjecerant arma, studia loquendi discernere. Fuit
 igitur communis quadam Generi humano, ut non
 jam Latina, non Italice, nec adeo Romana Lingua vo-
 cari mereatur, sed multo aptiori nomine, Humana.
 Quisquid enim ab omnibus gentibus litteris signa-
 tum & per monumenta posteritati relictum est, id o-
 mne in cinnum quendam redegit & absorpsit. Lati-
 na Antiquitas, nec contenta dum Imperium populi sui
 steterit, obnoxium sibi Mandum tenere, etiam post reli-
 quas ejus evanescentes paulatim, apud victores suos
 mansit, & quos armis Dominum gentium populum
 dejecisse de folio viderat, eos comitata licet occultis
 primo seminibus, erupit tamen ad ultimum & con-
 nexuit

nexit lingue usu cum victis triumphatores. Iamque iterum redit de Barbaria colluvionibus, ardet opponere oculos lucificis dici radijs. Non nocuit tam diu latuisse, plurimum tenebræ aciei addiderunt, & carcer diuturnus Palatiorum regionum gratiorem illum concinnavit.

Sanè si quoquam nunc loco, in Germaniâ nostrâ ejus usus nitidissime floret, cum post semel habitum amorem desistere non possimus nobilissima natio, quod laudandum maxime, studio indefesso adpetere. Hoc Itali ipsi, hoc Galli fatentur, ex quo disertissimus Muretus utriusque gentis gloria, confessus est Germanis peculiarem esse in Latinâ Linguâ nitelam. At non unum & unicum est quod renascenti generis humani delicio obstare & oppedere incassum nititur. Huc refero Pedagogorum quorundam, Utinam ne plurimum, sordes, qui turpe putantes quod in juvenia didicere, in senectâ perdendum fateri, discipulorum ingenia nugis suis decrepitis illudere satagunt, & eadem semper chordâ incassum oberrantes stridorem usque ad ultimum halitum suum pro pompa stoliditatis habent. Hi sunt boni illi Reales, qui studia cruda de Grammaticâ in forum propellunt, & incumbere solimysterijs Latinitatis autumant, cum nescio quid culinarium rancidulâ de nare balantes, vervecum agmina in ludibrium suum à suis opinionibus suspendunt. Et hi quidem, propter inscitiam & in errore pertinaciam, capitale odium litteris ferunt humanioribus, quibus tamen eo maxime nomine concedendum

dam veniam arbitramur, quod propalam impingunt,
 & paulo saltim acutioribus nugis suis bilem in nasum
 cient; tanto viliore damno, quanto præstat stupores
 ingeniorum, & vara distortaq; capita nunquam at-
 tingere Sacra litterarum, quam eâ inopiâ suâ
 conerere. Aliud est genus, quâ majora his longè
 & periculosa in nostra studia peccare gloriam
 suam retur, homines nimirum pure pateq; Antiqua-
 ri, quibus placere nihil sine Grammatico potest, Hi
 inania cymbala sunt iuventutis, & vitio creati, litte-
 rarum esse somniant monarcha. Libera de ferulis
 etas & exuens quaecumq; magistrorum dominium,
 nullum patitur nec crebriorem nec magis infandum
 & insanabilem morbum. Videas anatos adolescen-
 tes incedere & plateas solos tenere eo nomine quam
 maximè turpifam cupidos quo se abire de vulgi face
 & sapere cum paucis arbitrantur. Hos videas car-
 mina texere orationum longissimarum, quibus expen-
 sis singulos si auditores lectoresve in consilium inter-
 pretationis adhibeas, iurabunt ipsis ab auctoribus ni-
 hil intelligi eorum quibus se ambitiosissimè venditant.
 Miserrimos, qui sub tam lentis maxillis mandunt, cûq;
 linguam habeant ad loquendum & edisserere quæ ve-
 lunt, cupiant, voluptatem absurdissimam in aliorum
 conjectationibus habent, & se ipsis se feliciores atri-
 mant, cum scribere possunt, quæ ipsi nunquam repe-
 runt. In his duobus potissimum nunc fluctuat adstricta
 Latinitatis pure ratio, quod vitium plausibilis est, eo
 decumbens gravius. Tertium genus numerare est Ci-

ceronianorum, hominum servilium, & nimis quam superstitiosorum: quibus secta est in unius M. Tullij verba sacramentum dare, auctoratosq; ejus teneri arbitrio. Hos videas passim cum Nizolio suo discurrentes, libro sacerrimo, quem millibus illi multis bonorum auctorum non mutant, Hi à litteris ad Eloquentia summam incredibili pernicitate transfiliunt, & cum Elementa edocti sunt prima, nihil ulterius arbitrati in omni Antiquitate reperiri castum & politum, dignūq; hominibus voti tam sancti, Orationes pangere aut historiarum ingentia facinora patrare, adoriuntur, scilicet ubi quid eruditius viderint, jure suo naveam clamaturi, & ut simia visco delectari, pro liquida aqua, consueti. Hos ego mortales omnes si in unam ofsam concoquas & diffundas, convolvās & diffingas, non habituros arbitror lumbos tam firmos, ut vel sedere sine alterius ope possint. Quoties quid scribendum est, consulunt magistrum, & frigidissimum schema Ciceronis pretendentes, Nizoliani sunt meri, peritorum constupratores, inquinatores sententiarum, omnia quarumcumq; rerum vocabula unius labelli raso stridore aestimantes. Anxia in eis omnia, omnia trepida, nihil naturali pulchritudine exurgens, omnia aescitatio torpore jacentia. In hanc sectam nunc propagam generosissima quaq; ingenia à matre etiamnum rubentia, damnantur. nihil illis floridum tenellis, nihil letum, aut splendidum proponitur. Annorum non pauci in Epistolis terendi sunt Familiaribus, quarum nec ipsarum optime illis miseris sunt relictæ. Sed per egre-

egregium censorem, quæ conducere poterant ad excitandum nativæ indolis egregiæ vigorem, inscientibus subtrahuntur. Nihil relinquitur innocentibus præter verba vulgaria, quibus jam pueri in trivijs sibi convicia faciunt. Qui inter tam paupertatis extrema sordes educantur, sapere non possunt magis, quam benè olere qui in culinâ habitant. Et miramur inter tot millia, vix existere paucos, qui ausint eruditæ nomina sua probare? Etiam eo redacti sumus stulticiæ, ut ne Phrygum quidem exemplo, sero sapiamus? At, ajūt, magni auctoris pusilla ætati proponenda imbecilli, ne opprimantur, qui allici ad studia debent litterarum. Mi homo: quæ oriri voluptas aut quæ jucunditas obvenire adolescentulis potest generosi animi, si in scholâ nihil audiant, præter si Vales illud elegantissimum, & de Tirone liberto, filiâq; Tulliola aut Quinto fratre fractissimas ejulationes. Hoccine vero erigere est? quasi dicas, qui navigare ob nauseam pelagi non potest, vomitionum pocula domi hauriat grandissima, ut vacuo videlicet stomacho aliorum oppletorum fastidia rideat. Nonne, qui nihil materiæ in vacuo doloribus reliquit, ipse futurus est ijs præda, qui omnino nemini parcunt. At longè est melior consideratiorque docendi regula, à primis regulis Grammaticorum traducere ad nitidissima quæq; lactentis animos, ut radicis amaricis fructuum quam maturimâ ostensione dulcescat. Et hoc tertium est genus mortaliū ad antiquitatis studia, in quibus unis omnis consistit eruditionis nostræ summa, periculosissime ineptorum. Quartum

heri exortum est, quod nescio an non tribus istis etiam longè sit insipientius. Colligunt quidam hinc inde auctororum diversissimorum analecta & tamquam emblemata vermiculatum facturi, Epistolam omnem, omne Orationis grandioris genus condiunt istis suis delictis, & nec quid, nec quare, emendatis serice frustulis pallium exornant varium magis, quam arcus esse solet pluvius. Hac secta magnorum etiam cetera virorum animos occupavit, & glorioso ambitu ingenij aut memorie, ut cum nostris dicam, felicitis praeexit suum infortunium. Non est locus his ab alio alius re aut opinione dispar, quive alternet decorè. Vnam in multitudine auctorum regulam tenent. Quodcumque loquuntur, si tabellam capias, videbis ad auctorum certos referri aut detorqueri posse. Et hos putes Criticorum omnium longè esse solertissimos, nihil non vetustae scientia in parato habere, verum cum quid moluntur, manne exeant merae & tumores solidi, nihil nisi bullarum pelago innatantium, simulacra.

Hac de abusu hodierno Linguae Latinae sufficiat in brevi Epistola, dicta. Criticos non possum quin hic accusem qui tanta variationi ansam praebent quam aptissimam. Nihil eorum aliquam multi pensi habent dum scriptoris unius medicinam profitentur, mapala mera faciunt, nihil ijs in omni genere scribentium observatum est, quin ostentandi ingenij necesse habeat prestare materiam. Hinc in uno auctore, eorum crimine, quos illegitimos sentio, (nam veros, qui nimium pauci, tangere non est animus) sive beneficium putes, et atum omnium agnoscas vestigia, & quantumcumque

capere potest ad fidem legentis diligentia, divorsissimos
 characteras. Exemplis productis opus non est, quique
 ea in promptu habet. Quod vero pacto possit obviam iri
 tantis tam nocentibus periculis, palam facere id nostrae
 non est tenuitatis, quid videatur tamen in gratiam
 puerorum, quorum fines in adolescentiam sumus jam
 egressi, consignare volumus. Principio Manuctorem
 oportet habeat adolescens non è vulgo, qui sit auctoris
 lector unius, aut hostis elegantiarum. Quicquid disoit
 de docti in e inimico, id etiamsi ignarus, dediscere cogi-
 tur discipulus. Si enim ductorem suum scribentem vi-
 derit languida, qui sit nervosi præco generis, putat ma-
 levolentiam in eo dominari, & quod exprimere eum
 cernit, id sequitur potius quam quod docere audit. Ita
 multi sunt animati praeantium, in gratiam herilem,
 quicquid jubetur, ita meris recti carpunt, quando imperij
 cessat adfiduitas, ad diverticula & flexus suorum tra-
 mitum revertuntur, cum egregio damno mollium an-
 norum. Auctorem puera, qui quidem jam Grammati-
 cos canonas implere sciat, legendum terendumq;, nemi-
 nem priorem dem Plauto. Quodcumq;, audebit, hujus
 ductu succedet. Et eximie probari debet iudicium viri
 summatis omnibus doctis, qui cum Cicerone apta quã-
 dam mixtura à confusum eum Comicum, exemplar posuit
 bilarissimae Orationis. Si Epistolari exercitio se dabit,
 nemo dignior in partes veniet M. Attio. Si carmen cõ-
 ponet, majestatem à Virgilio, ab hoc cõsequetur leporẽ,
 si quidem grãde id futurũ est, Si generis humilioris cõ
 Horatio cinnũ facturũ est Plautus. Nihil illius delictijs
 aptius Elegia, nihil cõvenientis Epigrammati Quocumq;

animum deflectes, habebis in Comico qui usurpatum
 aut emulatum plausus merebitur cavea universe.
 Præterea nemo unquam tam inficetus extitit homo
 natus qui proprietatis in sermone negaverit priorem
 curam esse debere cæteris. Nemo jam unquam Plauti
 magis propriè locutus est, nemo magis ad usum accom-
 modatè. Vt, qui Ciceronem hoc seposito juventuti præ-
 legunt, hoc mihi videantur agere, ut scilicet priusquam
 Latine, eloquenter scribere doceant tironem littera-
 rium. Sit itaq; prima cura hujus auctoris, cum quo
 renato omnis Latini sermonis festivitas & propria
 Venus, reversa quasi postliminio est. Quis orationem
 nunc alicujus docti non malit unam, quam myriades
 centum loquaculorum priorum de Ciceronis unius Sebo-
 lã, quam ille non aperuit magis atque isti frequentarunt.
 Terentium aptiorem qui contendunt, id nobis
 agere videntur velle, quod nolunt. Nam quantuscumq;
 est Terentius, Plautina est Creatura: quicquid bo-
 num habet, à conditore nactus est suo. Conjungant cum
 principe sectatorem, qui volent, sed non ut alium scri-
 ptorem, verum ipsius Plauti quoddam compendium.
 Atq; hic miseret me eorum qui tamquam inter dispa-
 riles hos duos instituunt absurdas comparationes,
 tamquam si lac lacte esse disputet candidius. Restant
 nasuti litteratores, qui neminem intelligere volunt
 quod ipsi faciunt, ÿ Obscœnitatis arguunt M. Attium,
 & quasi pudicitie prostrata extra fines abigunt casti
 sermonis. ÿ si quid obscœnum sit sciunt, doceant nos
 quo pacto Terentius sit purior parente suo, doceant
 quis

quis auctorum in Latine culpæ seculorum vigentium sit
 vacuus. Respondeant intercedentibus omnibus Poetis
 & Censoriam istam Notam deprecantibus etiam sanctis-
 simis auctoribus, & qui Christiani nominis vindice-
 ces. Pro quo etiam nonnulli sanctiss. animas profude-
 runt. Crudeles sunt, sed sine Rationis momento. Con-
 coquere non possunt quæ viri summi ipsorum ori clau-
 dendo infercire voluerunt, quid opus nobis cruda re-
 vomis nostra argumenta? Si possunt, rejciant. Si ne-
 queunt nisi contemnere, suo periculo pro se sapiant.
 Non induant in culpas suas innocentium vota. Ab hu-
 jus auctoris omnium sanctissime terendi assiduo usu &
 in naturalem succum translatione, jam ad Ciceronis
 flumina facere transitum jubemus Eloquentiæ Latine
 & Eruditionis antiquæ candidatos. Quicquid ab hoc
 auctore didicerint, divinum futurum est, si cavere po-
 terunt superstitiosas imitatiunculas. Tanta suavitas
 miraculi illius mortalium, in quo totas suas vires ostē-
 tavit Eloquentia, ut vinciat nos vel levissimis cate-
 nis, & solis verbis ad omnem suum nutum reddat ob-
 noxios. Cavendum quam cautissime, ne ad Sirenum
 Concordiam obstupescamus, & naturalium obli-
 rium, in cantriciis dulcissime ruminandis vocibus, ob-
 surdescamus. Facilime contingit, cujus admirari vir-
 tutes & robur, eum dum amularis, ut cadas & im-
 pingas. Arma viri fortis qui induit, non continuo ipse
 est is cujus induviis vestitus est. Ridicula res est gli-
 dium Pygmeos torquere velle Herculeum, cum id non
 possint, vaginam vibrando putare ferrum se corruscare
 vulni-

vulnificum. Hinc libera jam nascitur lectionis varietas, que in animo relinquit quicquid utile est futura nitela stili alicujus Elegantioris. Tam facilis via est ad summum culmen, non quidem altitudine de sua, sed nostrâ humilitate, quâ perpendenda est rerum editurum conditio, non suâ potestate, nisi nos videre velimus quid sit summum, ad id vero pervenire non posse, fateamur. Sequitur ut de Auctoribus ceteris judicium faciamus, illud quidem doctus superfluum, qui omnes vetustiores in numero habent, at non ijs qui in juventute, cum auxilio labore fundamenta jecerint, quomodo ex exornant non reperiunt, nostra quidem inopia nolumus aliorum adstringere divitias, si qua nomina tamen ommissa erunt, festinanti elapsa, non ignaro præterita esse sciantur. In ætate igitur totas quinque diribere licet Latinos Scriptores, qui nomen istud utcumq; omnes tueri valentes, sunt tamen non usque adeo infelices, ut ex ijs nihil possis addiscere, nihil loci positum suo, non probare acutis censoribus. Ut cum Afrorum aut quarta ætatis plerorumq; legis scripta, sub paucis verbis abstrusam clarissimam reperies sententiam, eam ubi convenit comitis verbis exornatam, tuam facere, est ostendere tam potentem esse lectorem, ut rerum tibi vindicare possis dignissimas. Non placent qui verborum delectum habent, negligunt quod ijs comprehendere nitidissime potest. Ita fit ut alieno loco usurpantes indecore, quod elegantissime suo poterant, patiantur hiulcos tumores, & cum verba omnia sint significantia & polita, nihil in uno sit corpore quam

quàm diversissimæ laxitatis & abruptæ brevitatis vitia, quæ singula in fulciri videns contextæ Orationis tele, artificium putet in absurdissimis latere erroribus, semotà vero nebula, reperiatur Mulierem in piscem desinentem & institutà amphorà, exeuntem urceum stuppebit & detestabitur.

Prima illarum, quas dicere minamur *Ætatum*, eà à nobis constituntur, quæ antecessit ipsa Ciceronis consummationem, videlicet priusquam in ejus nomen summa concessit Eloquentiæ. Ex eà etate quicquid ad nos pervenit, tam exile est, ut nominibus paucis possit recenseri. Primus nominabitur M. Attius Plautus, quem principem quoq; adolescentibus legendum dedimus. Ut ex editione comparetur pulcherrimà *Friederici nostri Taubmani*, à cujus laudibus in istà etiam brevitate, nimium quàm invitè temperamus. Verustiores quidem aliorum sunt reliquæ, sed nobis non successio viventium sed etas tota, unicum tempus est. Fragmenta cæterorum hujus etatis Poetarum, qui quidem sint, Attius, Pacuvius, Ennius, Afranius, Pomponius, aliique tales; pleraque de Festo, Nonio, Prisciano, &c. collecta uno volumine edidit *Stephanus*. Terentius toties prodèjt ut de eo vix possit electionem facere. Dum ad *Piantii* faciem alia speratur editio, suadeam eam legi quam *Hainecius* architectatus est. Illustrior & nitidior cum *Commentariis Donati Lindenbruchina Parisiensis*, sed eà hic terrarum in paucorum est manibus. Textum ipsam, ut vocant, *Fæörni* laudem. *Lucretium*

tium ampliter exposuit Lambinus. Indice elegantiarum fertilissimo Obertus Gifanius. Vtrumque ego praestinandum iudicem. Gifanium magis ad praeclam omnem nitelam orationis, quam ad expositionem Lucretij, quam ad formam Lambinianam aggressurum sine effectu promisit. Nova opus editione huius Poetae, quam aliquis doctus de duobus istis concinnet. Atq; huic auctori adeo utibile est adfueseri, ut post Plautum nulli aequè puritas enim nativi sermonis & proprie Latini in eo inastimabilis, sine fucò aut fallaciis. Eiusdem laudis summa penes Catullum quoque, quem à Scaligero publicatum, ediscendum Elegantiae studio arbitrer. Antea in Catullo non erat Catullus. Palma omnium commentationum Scaligeri in eum Notae, sed quatenus altiores, temperandae Mureti diligentia. Ennij fragmenta Annalium, Pauli Merule labor, cum Lucilio Fr. Duse coniungenda sunt. Vtrumq; opus praecclarum. Varronis & Catonis reliquias composuit doctissimus Popma. Sed idem & integra opera publicavit. Varro quidem ex eius, cum editione Scaligeri à Stephano prodit à coniungendus, in lebris de LL. nova opus habet in ordinem redactione, nam Vertranij, Augustini, Turnebi, Gothofredi, & postremo Scioppij cum Popma & Scaligero confusae operae, sistunt corpus Varronianum. Libros de re Rusticà illustrarunt, Victorius, Scaliger, Popma. Catonis liber de Agricultura ejusdem Popma & Joannis Meursij curis prodijt illustrior. Referendus ad hanc aetatem Sallustius, qui optime omnium cum variis

variis Notis Iani Gruteri nomen præpingit sibi. Fabij Pictoris libellus à Ioanne Annio publicum vidit, sed utique suppositivus sibi ipsi. quare Gasperis Varerij in Berosum censura etiam in hunc infessorem alieni nominis merito extendetur. Quod idem de Catonis Originum fragmentis prædicem, nisi Ausonius Popma aliam suaderet sequi sententiam. Huius ætatis Porrij Latronis reperitur in Catilinam declamatio omnibus serè Sallustianis inculcata exemplaribus. Pertinent ad hanc à Iusto Lipsio primum detectæ Senecæ patris controversiæ. Sive excerpta potius, quod P. Pithæi exemplar manifesto arguit. Pertinent huc fortasse, vel ad sequentem certe ætatem, Quintiliani Declamationum & Calpurnij Flacci ~~de~~ $\sigma\tau\alpha\sigma\mu\acute{\alpha}\tau\iota\alpha$, de quibus incerta iudicandi libertas, ut & de XIX. illis, quas Posthumio Iuniori describit Durantius. Nisi quod omnium constat calculis, post primos principes refrixisse studium illud Scholasticarum declamationum, à Petronio tantoperè exagitararum. In causâ fortean Quintilianus perfectosuo opere Institutionum, cuius omnes alij Rhetores sunt analectæ. Et tantum esse festinanti videtur, quod prima possit ætati adfingi. Altera est à Palmâ Ciceronis usque ad Domitianum: nam ita hanc concludere placet. Non quod similis in eâ Lingua Latina, que in nulla non sibi dissimilima reperitur, sed quod præstet aliquam, quam nullam esse distinctionem. In hac princeps est Cicero, cuius, citra glossemata omnia trivialium doctorum qui tâquam in commune stabulum

in Parentum Eloquentiæ venena sua exonerarunt.
 Editio mihi placet Dionysij Gothofredi, quæ au-
 ctorem exhibet purum, & Indicem præterea millibus
 Nizoliorum multis meliorem dum expectatur opera
 Iani Guliebni, quam nobilissimo Vovverio in mani-
 bus esse amici scripserant. Qui Plautum intelligere
 didicit, ad Ciceronem vix opus habet interprete. Ex
 illo loqui, ex hoc dicere hauriet. Alij hujus ætatis ne-
 mini sunt ignoti, inculcantur enim ab omnibus magi-
 stris, et si pauci omnino sunt, qui quæ commendant, in-
 telligunt. Cæsaris commentarij splendidissime Fran-
 cosurti præmper publicati exstant. Livium, Gruteri
 operâ post Modianam traduxit, qui doctiss. vir non
 desinit Historicorum Latinorum emendationem sibi
 integram velle adserere. Plinius Dalecampij nitidif-
 sinus ematur. Columella è Commelini, Celsus è
 Tornæsij petatur Bibliopolijs. Senecam Lipsius &
 Gruterus perpolire certarunt. Vellejus ab utroque
 horum medicinam meritus, posterioris curis assurgit, in
 eo & Schekrus, & Manutius, & Acidalius fuerunt.
 Curtius omnino hujus est ævi, subactissimus scriptor,
 planè nemini unquam satis laudatus, in eo probanda
 maxime opera Modij, nam Acidalius acutior quam pro-
 re, & ninus ingenij. Bongarsius expectatur nunc diu-
 nimis. Vitruvium splendidissimis modis tractavit
 Philander. Scriptorem nulli, si fides certa abesset, in-
 hanc ætatem rejciendum. Scribonij Largi extat
 liber medicus, quem hæc adscribunt, planè stili non
 pro hoc tempore. Sed qui Vitruvium legit jam melius
 quam

quam vulgus judicare potest. Disceptavit de hoc Mar-
 filius Cagnatus lib. III. Var. Obs. c. XIV. Sed nec ar-
 gumentis idoneis satis, nec reijculis nimium. Nomina-
 vimus eum hoc loci nihil veritati præjudicaturi. Cor-
 nificij ad Herennium libros huc refero, in omnibus
 Ciceronis libris prostantes, si tamen Cornificij & non
 alterius, quod ambagibus multis pertendit Franciscus
 Floridus Sabinus. Apicij culinaria ob vocabulorum
 multorum fictionem non absurdam legenda & esti-
 manda. Pomponium Melam amplissimè illustra-
 vit Ioach. Vadianus, sed is paucis notus est. Higynus,
 fabularum dispendium passus est irreciperabile. Astro-
 nomicum Poeticum venustum satis, at limâ alicujus
 industriosi viri egens quam maximè. Dialogus de
 causis corruptæ Eloquentiæ hujus esse creditur seculi.
 Politissimum scriptum, à Pithæo & Lipsio Notis illu-
 stratum. Petronius Arbitr, exemplum esse poterat
 singulare Eloquentiæ Arpinatis cum M. Attio confu-
 se, si extaret. Fragmenta nemini non sunt in deliciis,
 multorum manus passa, quos redegit in cinnum nuper
 Typographus Leydensis. Utinam de hoc scriptore pro-
 cul esset Obscœnitas, nemo eo nunquam venustior ma-
 num ad scribendum applisset. Valerius Maximus
 à Pighio concastigatus solertissimè est, princeps ca-
 strensè quoddam in Romanam urbem genus ferens
 orationis. Vitæ illustrium Græciæ principum, quas
 Emilio Probo alij, alij Corn. Nepoti adscri-
 bunt, libens huic seculo condonem sunt enim nitidissi-
 mè scriptæ sed de ijs disputatio longa est. Edidit Lam-
 binus,

binus, & ante eum cum notis Gilbertus Longolius. Pol-
 licitus sine effectu Ob. Gifanius. Vita Pomponij Ati-
 ci à Corn. Nepote exarata omnibus ad eum Cice-
 ronis Epistolis adjecta est. Adsumt nunc Poeta, quo-
 rum regnum in hac fuit aetate. Virgilius toties edi-
 tus est, quoties nominari vix potest. Pimontij præ-
 clara est Editio. nobilis Serviano cum Commentario
 posthuma Petro Danieli, non ad speranda ingens Ge-
 orgij Fabricij. Bersmani compendiosa diligentia lau-
 dabilis est. Eligendum cui liberum est Exemplar
 mendatissimum, dum speratur Friderici Taubmanii di-
 ligentissimus labor. Et is à nobis non jam speratur, sed
 penè manibus tenetur; adeo nota est viri præstantissi-
 mi in egregium publicum propensio. Horatius Cru-
 quij & Lambini ingentia volumina facit, uterq; ad
 auctoris captam necessarius. Paraphrasis Eil-
 Lubini non contemnenda est. Reliquorum opera est
 ignobilior. Ovidium commentari nemo adhuc in re-
 grum de litteratioribus sustinuit. Hercules Ciosani de
 Viginti amplius Codicibus emendationes exstant. No-
 ta sunt in omnium manibus Gregorij Bersmani, cujus
 editio nunc omnium est optima. Manilium puru-
 putum dedit in ultimâ Editione Ios. Scaliger. Pro-
 pertium & Tibullum idem Illustrissimus vir ex-
 mie castigavit, verum, ut quod est verum dicamus, ut-
 terq; Commentario adhuc eget, satis jam emendatus.
 Mureti opis defecit. Lucanum, quantum nos vidi-
 mus, optime edidit Bersmanus, in tantâ brevitæ mi-
 re industrius: & ille nec in Marone nec Ovidio tantum
 egit

egit quantum in hoc Cordubensi. Phædri ingenuas
 fabulas Rittershufius & Rigaltius expolierunt, ut ergo
 notus. In ijs natiya indoles Latini sermonis, atq; cum
 Lucretio & Catullo æstimanda. Val. Flaccus Car-
 rioni vitam debet, à Maserio ineptissime traductus.
 Germanicus Casar à Grotio, qui pollicitus semel,
 emendationem sperat hæctenus turpiter maculosus.
 Persium Casauboni præ omnibus admiramur. Pri-
 apæa ut hæc referam castitas impurissimi sermonis fa-
 cit. Ea habes à Scaligero & Scioppio: quamquam pos-
 terior in vitus est, auctor tamen est. Sequitur nunc
 tertia ætas quam à Doornitiano ad Antoninorum licet
 extendere principatum. In hac Suetonius Casaubo-
 no & Torrentio vitam nitoremq; debens. Plinij Epi-
 stolas satis belle exposuit Io. Maria. Cataneus. Ju-
 valem Casauboni dum expectamus, jubeo Eilhar-
 dum Lubinum laudes. Gellium pollicitus Gifanius, is
 pos. tot notantes, maxime omnium Notatoris indigus
 fuit. Martialis à Radero ingenti Comentario orna-
 tus & ornatus est. Nuper in 4. libros eleganter scripsit
 Ramirez. Scribere spes de eo fecit, ut inam com-
 pletet. Gruteri & Junij merita in omnium ore sunt.
 Florum exacti nitore auctorem cum variorum No-
 tis dedere Gallicani Typographi, Gruteri edidit Come-
 linus. Senecam Poetam eruditissime explanavit
 Delrio in Syntagmate illo magno Tragico. Justinum
 emendarunt Bongarsius & Modius, ut ergo, vulgo no-
 tus. Frötini nihil habeo nisi de Strategematis, eã nu-
 perime iterum nitidius edidit Raphelengius cum Ve-

getio, ex Stevvechij & Modij correctione. Quintilianus exactioris Critici adhuc indiget. Terentianus pulcherrimè versibus de litteris Syllabus & metris scribit. Is & ipse correctorem postulat talem, qualem in Putschio obeunte amisit. Statio impar congressus Bernartius, sed nos Gruteri curam expectamus. Pollicitus eum & Bersmanus, sed premit adhuc. Silius à Daniele Heinso meruit Notas, sed Commentarium flagit ab otiosiore, nam cum solerti s. virum merito majora occupant. Palladium huic etati adijcit Vires qua auctoritate, nos non laboramus. Is cuius MSto compositus Commelino debetur, Reservavi Tacitum, quem ego satis propter prudentiam & gravitatem predicari non posse assero. Lipsij editio ultima auro contra cara non est. Ei jungatur cum notis Variorum promulgata Francosurtana. Sequitur quarta jam etas, quam adeundam, nisi judicij confirmati nemini censeo. A talibus vero paullo infra priores aestimetur. In hac dominantur Afri, saepe asperi, contracti, horrentes, semper acuti, nervosi & capitales. Irenæi interpres huc fortasse non pertinet, similior tamen huic quam cuivis est alij nationi, quisquis fuit, eum ex Grænei castigatione habes. Tertullianum excepit post Panelum egregie Iunius. Cyprianum Romani castigatum derunt. Pandectæ juris principem hujus etatis locum obtinent. Cothofredi inestimabili diligentia Notis ijs illustratæ, ut & Lingua in eis Latina multum sibi vindicet. Præcipue de V. S. titulus legendus ut cum Alciati, Fornery Brechæi Comm. editus est. Apule-

Apulejus Bersaldi, Steyvechij, Colvij, VVovverij
 manus passus est. Indicem nos in illum molimur. Opus
 habet Editione ex nominatis interpretibus coacta. A-
 pologia, eruditissimos Casaubonum & Gentilem expo-
 sitores habet. Capellam castigavit Grotius. Opta-
 tus Afer serium interpretem, cum nullum nunc ha-
 beat, postulat sibi. Cum eo editur Collatio Cartha-
 ginienfis, de qua multa discere possis. Arnobius
 mire suavis in quadam austeritate est, anxie à Meur-
 sio, Cantero, Heraldò, Elmenhorstio illustratus. Ful-
 gentius omnibus in promptu est, post Mythologiarum
 Pium, commentatorem desiderans operum omnium.
 Cassianus cum Damasceni opere proficit, doctissimus
 auctor. Luciferi Caralitani opusculum dignum le-
 ctu. Chrysologi Sermones in pretio esse nuper
 admodum ceperunt. Zenonem Veronensem ele-
 gantissimum vocat, ut opinor, Casaubonus. Phila-
 strij Brixienfis Catalogus non negligendus. Enno-
 dij operum præter panegyricum, nihil dum legi. Fir-
 mici Astronomica vocabula multa nova habent. Ejus
 edidit de Errore profanarum Religionum doctissimus
 VVovver. Noticia Imperij Pancirole illustrat a de-
 betur, Cælij Aureliani libri medicinalium voca-
 bulorum curiosissims. Multos præclaros auctores post
 recensero ut memorie incident, nihil derogaturus di-
 gnitati. Macrobius ab Isacio supremum castigatus
 est venuste. Aufonium divinus Scaliger & Vinetus
 exposuerunt. Catonis disticha idem Scaliger & Græ-
 cæ traduxit & illustravit Latine. Poetarum Chri-

stianorum ingens opus Fabricius conjunxit & indi-
 ce illustravit. Prudentius comparetur & Gifelinus.
 Alcimus Avitus Zehneri. Paulinum melius fe-
 cisset si vel integrum vel nullum ibi publicasset Fabri-
 cius. Comparandus est totus. Ruffinus traductor
 Iosephi & Eusebii nemini est ignotus. Obsequentis
 libellus non exstat integer, Olim Tiguri ingenti mole
 à viro doctissimo auctus. Minutius Felix Ioannis à
 VVorver amici nostri Notis palmam dat, expectatur
 Heraldus. Claudianum Delrio notis prostituit or-
 natum, nos cum commentario dabimus. Sidonius
 ejusdem VVorveri & Colvij notationibus illustrior
 in Savaronio acquiescere dicitur. Salvianum Bras-
 sicanus & Pithæus dedere, neuter interpretatione ac-
 curatior dignatus est, scriptorem Christianissimum
 & eruditissimum. Hieronymi & Augustini in-
 gentia Opera Bibliothecarum egregia sunt pulpa-
 menta. De Civitate Dei hujus minore forma omni-
 bus parabile est. Boethius totus, Basilea olim
 editus est, de Consolatione Philosophie interpretes
 habet, Murmelium, Bernartium & nostrum Sitzma-
 num. Ad ultimum mox & nostram curam subiturus.
 Eutropius Glareano & Vineto illustratus est. S.
 Victorem edidit And. Schottus. Historiæ Au-
 gustæ auctores exposuerunt Syllburgius in corpore
 minorum Historicorum & Casaubonus, ut solet, divi-
 nè. Marcelli Empirici liber olim à Iano Cornario
 emendatus est. Ammianus Marcellinus egre
 fort desiderium commentarii se digni. Vtinam Ca-
 saubonum tanto auctori Fortuna non invideret. Ve-
 getius



getius Stevvechij non est ignotæ eruditionis. Ege-
 sippus à Corn. VValthero vitam accepit, sanitatem
 adhuc expectat Sexti Ruffi extat libellus perpar-
 vus Historicus. Severus Sulpicius Gallie Sallu-
 stius à Sigonio & Giselino commentatus & emenda-
 tus est. Qui Dictyn scripsit, Septimius Romanus,
 eleganter scripsit. Jornandem edidit B. Vulcanius,
 Rhetores Latinos minores Fr. Pithæus. Mytho-
 logi uno corpore sed in emendati, conclusi sunt. Poe-
 matia & Epigrammata vetera variaram etatum
 à VV. VV. sed doctissimus edidit. Catalecta hic Scæ-
 liberi jungantur. Orosius Historicâ suâ in omniû
 manibus est. Panegyristas, egregium opus, post ac-
 curatis. Levineium nunc nuper Gruterus recensitos
 dedit. Lactantium correxit Thomafius, illustravit
 grandi opere Xystus Betulejus. Vincentius Liri-
 nensis brevè sed eleganti libro contra hæreses cum
 Areopagitâ olim editus est. Avieni Poemata à viro
 magno expectamus. De Herbis inter scripta Apule-
 ri elegans liber reperitur, non ejus tamen esse putat-
 ur nec adeo Apuleij Celsi cui Colvius adscribat Cas-
 siodorus Varijs suis lucem Fornerio & Brossæo de-
 bet. Ambrosij ingentia opera illustrissima sunt.
 Symmachum postremò pulcherrimum dedit Iure-
 tus. Antea Lectius emendat diligenter. Censori-
 ni de die natali liber à Carrione emendatus, non &
 expositus est. Solinum post Camertem & Delrium
 nuper dedit Grasserus. Codex Justiniani &
 Theodosij, Ulpiani Regula, Pauli sententia Caij

Institut. fragmina huc pertinent. item Liber Col-
 lationis Divinae cum Lege Humana à Pitheo editus.
 Est Anastasius de Vitis Pontificum, est Interpret
 Historiae Apostolicae Africanus, qui huc pertinent.
 Auctoris incerti sub nomine Pindari & Corn. Ne-
 potis de bello Trojano erudita carmina hanc promit-
 tunt at. item. Marcellini Comitis Chronicon, Pro-
 sper Aquitanus & ignobiliores & majores alij, ut
 finis sit tam lem, non recensentur. Ad hanc etatem
 pertinent Grammaticorum & Interpretum quot quot
 sunt. Priores serè omnes à Putschio & Gotho-
 fredo duobus disjunctis editi sunt operibus. Dona-
 tus ex istorum numero, Servius, Lutacius Placi-
 dus, Juvenalis, Horatij, Persij innominati supersunt.
 Latet etiam doctos. Lucani, Germanici Caesaris pre-
 stantissimus est. Glossariorum nonnulla hanc serunt.
 Sed instat quinta etas que raros sub mediâ barbarie
 tulit tamen Latinorum nomine non indignos. Gun-
 terum Poetam à Conrado Rittershusio summo viro
 & nostro amico explicatum. Ioann. Saresberien-
 sem. Saxonem Grammaticum Danorum Histori-
 corum, Nichardum à Pitheo editum & alios tales.
 Hinc copiae auctorum Latinae linguae tanquam subsi-
 dia & interpretes qui dam putandi sunt, Turnebi Ad-
 versariorum opus. Fax Artium, ut inam majore colle-
 cta iudicio & ejus viri cuius praesert nomen. Gram-
 matici Elae Putschij. Scaligeri divinus Comment à
 Iusto Lipsio proljct. Index etiam in Lucretium Ob-
 Giffa

Gifanij. Aufonij Popme de differentiis & Vfu Antiquae locutionis elegantiss. opuscula. Brissonij Horomani & aliorum Ictorum lexica, Magna vis etiam reliquorum. Alij deniq; tales qui cum iudicio rei Latine & linguae consultum cupierunt, inter quos non potestremus etiam imo cum principibus censendus Plautinus commentarius Clarissimi nostri Taubmani. Penultima antiquae eruditionis. Thesaurus bonarum rerum. Expectant fortassis ut de auctorum tanta copia judicemus deq; delectu dissertare incipiamus, sed opera majorum id negotium est, nos satisfacimus ejus desiderio, in cuius gratiam hanc epistolam scribere volumus.

F I N I S.

Corrigenda.

Pag. 7. lin. 2. habitat. p. 55. lin. 4. sine. p. 68.
lin. 2. fructus. p. 69. lin. 3. hiems, i. Lat. p. 71. lin. à
fine 3. amat. p. 78. lin. à fine 5. elimendas, p. 81. lin.
18. post, absorpsit tollatur punctum, &c.





Col 489

ULB Halle

003 356 124

3





f.
sb.

1107

m.c.







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



Ob. 3547

2

CHRISTIANI
CMANI BOR-
NENSIS,
nductio ad
Linguam Lati-
nam.

Edita studio

TAUBMANI, FR.,
manitatis Profess.
VVitebergæ.



VVITEBERGÆ.
s VVolfgangi Meisneri.
ensis Pauli Helvigij.
ANNO 1608.

